DE LEX FRISIONUM,

UITGEGEVEN EN TOEGELICHT

DOOR

Dr. KARL FREIHERR VON RICHTHOFEN,

NAAR

PERTZ' Monumenta Germaniae,

BEZORGD DOOR HET

FRIESCH GENOOTSCHAP VAN GESCHIED-, OUDHEID- EN TAALKUNDE,

GEVOLGD DOOR EENE VERHANDELING OVER DE ZAMENSTELLING VAN DE LEX FRISIONUM

VAN

Dr. B. J. LINTELO DE GEER,
Hoogleeraar te Utrecht.

TE *LEEUWARDEN*, BIJ
G. T. N. SURINGAR.
1866.

LEX FRISIONUM,

EDENTE

KAROLO LIBERO BARONE DE RICHTHOFEN,
J. U. et Ph. Dr.,

REPETITA CURIS

SOCIETATIS FRISIACAE.

ACCEDIT RECENSIO

V. Cl. BARONIS B. J. LINTELO DE GEER,

LEOVARDIAE,
G. T. N. SURINGAR.
1866.

TYPIS H. BRANDENBURGH ET FIL., WORCUMI.

LEX FRISIONUM

EDENTE KAROLO LIBERO BARONE DE RICHTHOFEN

I. U. ET PH. DR.

1. Nullus omnino legis Frisionum codex manuscriptus restat in plurimis illis bibliothecis et archivis, nostro tempore ad Monumenta Germaniae edenda perquisitis; ac ne cognitum quidem habemus codicem manuscriptum, quo usus est Herold, primus legis Frisionum editor [1]; posteriores vero legis editiones, quarum duodecim numerantur [2], textum repetunt Heroldianum, coniecturis quibusdam

---

1 In libro inscripto „Originum ac Germanicarum antiquitatum libri, opera Basilii Ioannis Herold, Basileae 1557", inter „legem Angliorum et Werinorum hoc est Thuringorum" et „leges Burgundionum", typis impressus est p. 131—149 „legis Frisionum liber". In lege Salica edenda Herold usus est codice manuscripto Fuldensi; praefationem libri Heroldiani legenti occurrunt verba: „sanctissimi senis Wolfgangi principis Fuldensis pietate, in manus mihi devenerunt leges Salicae"; inter eos, „qui communicatis exemplaribus aliquibus, collationem Heroldianam iuvaverunt", ab auctore nominantur viri docti Basilienses, Mediolanenses, Wormatienses, abbas S. Mauricii in Valesia, et Klenkardus iurisconsultus; silentio praeterit locum ex quo recepit textum legis Frisionum.

2 Legem Frisionum post editionem Heroldianam publicaverunt: 2. Fridericus Lindenbrog: Codex legum antiquarum. Francof. 1613. fol. p. 490—508. 3. Sibrand Siccama: Lex Frisionum sive antiquae Frisionum leges. Franekerae 1617. 4. 4. (Christian. Schotanus): Beschryvinge van de Heerlyckheit van Frieslandt tusschen 't Flie end de Lauwers. (1664.) fol. p. 23—35. 5. C. G. Gärtner: Saxonum leges tres; accessit lex Frisiorum cum notis S. Siccamae. Lips. 1730. 4. 6. P. Georgisch: Corpus iuris Germanici. Halae 1738. 4. 7. G.

emendatum, vel omissionibus et erroribus haud raro depravatum. Sunt quidem qui censeant, Fridericum Lindenbrog, secundum legis editorem, vel etiam Sibrandum Siccama, tertium legis editorem, codices legis manuscriptos a codice Heroldiano diversos habuisse, argumenta autem opinionis suae quae reddunt illi, meo iudicio sunt levissima, ac plane refelluntur collatione accurata verborum ac syllabarum, quae inter editiones dictas et Heroldianam differunt [3]. Quae quum ita sint, in lege Frisionum denuo edenda, adminicula illa gravissima desiderantur, quorum ope textus omnium omnino aliarum legum Germanicarum, in Monumenta Germaniae receptarum, sint constituendi; editor legis Frisionum textu editionis Heroldianae ita continetur, ut ea locum codicis manuscripti teneat.

Legem autem Frisionum ab Heroldo editam, antiquam ac vere genuinam esse, probatur collatione diligentissima

---

F. Baron toe Schwartzenberg: Groot Placaat en Charterboek van Vriesland. Leeuwarden 1768. fol. I. p. 1—40. 8. Canciani, Barbarorum leg. ant. Venet. 1781. fol. 9. F. Walter: Corp. iur. Germ. Berolini 1824. 8. I. p. 352. 10. E. T. Gaupp: Lex Frisionum. Vratislaviae 1832. 8. 11. K. Freiherr von Richthofen: Friesische Rechtsquellen. Berlin 1840. 4. p. XXIX—XLII. 12. I. de Wal: Lex Frisionum, lex Angliorum et Werinorum. Amstelodami 1850. 8. 13. M. de Haan Hettema: Oude Friesche Wetten. Leeuwarden 1851. 8. II. p. 331—378.

3 Fridericum Lindenbrog et Sibrandum Siccama codicibus manuscriptis legis Frisionum usos esse, exposuit Gaupp in Lege Frisionum p. XXVII; eumque secuti sunt plures scriptores recentiores, verbi gratia Türk Altfriesland. Parchim 1835 p. 40; nullo autem loco. traditum est, editorem utrumque in lege edenda codicem manuscriptum adhibuisse, et in libro meo Fries. Rechtsq. p. IX coniecturam Gauppianam ita refutavi, ut demonstrarem, ne unam esse lectionem variam in editionibus Lindenbrogii et Sibrandi Siccama, quae probaret eos non usos esse sola editione Heroldiana. Plures scriptores recentiores opinioni meae accesserun e. gr. Eichhorn D. Rechtsg. § 145, Kraut D. Privatr. § 7, Acker Stratingh Aloude Staat III. p. 259; quaestionem in suspenso reliquit Daniels D. Reichsg. I. p. 257. 261; et Hettema Fr. Wetten II. p. 334 medium ita tenuit, ut putaret, Lindenbrogium et Sibrandum Siccama in lege Frisionum edenda codicem manuscriptum Heroldianum denuo exscripsisse.

capitulorum singulorum, quibus lex ipsa est composita, atque omnes scrupuli, quos scriptores nonnulli legi iniiciant, prorsus ex animo evelluntur, constitutiones singulas legis conferendo cum legibus vetustissimis aliorum Germaniae populorum, et cum iis quae saeculo decimo tertio et decimo quarto in Frisia sunt scriptae [4]. Certum mihi est, nullum hominem aetate Heroldiana, ne dicam nostra, vixisse, qui scribere potuerit legem Frisionum Heroldianam, cuius loci plurimi ostendunt et originem saeculi octavi et consensum legum Frisiae recentiorum numquam adhuc enucleatum. Non me praeterit, plures lapsus codicem scribentis vel errores typographicos in textu legis Heroldianae esse, quos percipimus, constitutiones, quae habentur in singulis capitulis legis, comparando inter se aut cum iis, quae nobis occurrunt in aliis legibus Germaniae vetustissimis et libris iuris Frisici recentioribus; dico autem errores illos vim et auctoritatem legis nullo modo diminuere, quum emendatione litterarum nonnullarum sint removendi.

II. F i n e s t e r r a r u m, q u a r u m i u s i n l e g e F r i s i o n u m c o n s t i t u t u m e s t, i n i p s a l e g e n o m i n a n t u r. O m n i s F r i s i a littus oceani septentrionalis a fluvio Sinkfal usque ad Wisaram occupabat, et fluminibus Fli et Laubachi in tres partes erat divisa: F r i s i a m o c c i d e n t a l e m inter fluvium Sinkfal et

4 Inter eos qui dubitaverunt, legem Frisionum Heroldianam omnibus in partibus antiquam esse ac genuinam, nominare velim virum perdoctum B. Huydecoper: Rymkronyk van Melis Stoke. Leiden 1772. I. p. 142; (conferas quae argumentis eius opposuit I. F. van Halsema in Verhandelingen door een Genootschap pro excolendo iure patrio. Groningen 1778. II. p. 46); et tempore recentiore Hettema Fr. Wetten II. p. 335. 344 et von Daniels Deut. Reichsg. Tübingen 1859. I. p. 262: *Wahrscheinlich haben wir in dem heutigen Texte nur das vereinzelte Werk eines Privatsammlers, der aus andern Aufzeichnungen und sonstigen Nachrichten Sicheres und Unsicheres, Fränkisches und Vorfränkisches, Heidnisches uud Christliches, wie es sich darbot, ohne Wahl und Urtheil zusammentrug.*

*

Fli, Frisiam mediam inter Fli et Laubachi, et Frisiam orientalem inter Laubachi et Wisaram. Haec Frisiae divisio maximi est momenti, et omnis Frisionum historia antiquissima nullo modo intelligi potest, nisi ad eam quam diligentissime animum attendamus; hanc ob causam facere non possum, quin flumina dicta accuratius considerem, quibus Frisiae partes tempore legis Frisionum erant finitae.

a. Sinkfal. Initium explicationis faciam ex scriptis medii aevi locos colligendo, in quibus fluvius Sinkfal commemoratur:

Lex Fris. XIV, 2: *Haec lex inter Laubachi et Flehi custoditur; caeterum inter Flehum et Sincfalam fluvium talis est consuetudo* etc.; L. Fris. Add. III, 58: *apud occidentales Frisiones inter Flehi et Sincfalam;* L. Fris. I, 10 et Add. III, 73: *inter Fli (Flehi) et Sincfalam;* L. Fris. IV, 4 et XV, 4: *inter Laubaci et Sincfalam.*

Scholion [5] 96 ad Adami Gesta Hammaburg. lib. IV: *De Ripa in Flandriam ad Cincfal veuficari potest duobus diebus et totidem noctibus; de Cinkfal ad Prol in Angliam duobus diebus et una nocte. Illud est ultimum caput Angliae versus austrum, et est processus illuc de Ripa angulosus inter austrum et occidentem* G. SS. VII. p. 368. Quae verba Albertus [6] in Annales Stadenses ita transscripsit: *Si prosperum ventum habueris, velificare potes de Ripa in Flandriam ad Cinkfal duobus diebus et totidem noctibus, de Cinkfal ad Prol in Angliam duobus diebus et una nocte; illud est ultimum caput Angliae versus austrum,* Mon. G. SS. XVI. p. 340.

Friesische Küre 10 (quae est concepta circa annum

---

5 Scholia addita Gestis Adami omnia fere scripta sunt ab ipso Adamo canonico Bremensi, qui circa annum 1125 mortuus est; vide Lappenberg in Mon. G. SS. VII. p. 274.

6 Albertus abbas Stadensis mortuus est inter a. 1261 et 1264., vide Lappenberg in Mon. G. SS. XVI. p. 272.

1200): *Decima petitio est: Frisones non oportere exercitum ducere ulterius quam ad Wiseram versus orientem, et versus occidentem usque Fli. Petivit autem rex Karolus, quod ipsi ultra proficisci vellent, in orientem usque Hiddesekkere, et in occidentem usque Singfallum; et obtinuerunt id Frisones apud Karolum, quod ipsi bannos suos non ultra servarent, quam in orientem ad Wiseram, et in occidentem usque Fli*, Fries. Rechtsq. p. 18 (Versiones Frisicae saecul. XIII et XIV scriptae legunt: *wester to da Singfalle, to Sincfalum, til Cincfallum, to Sinkfalon;* in Ms. meo Fivelg. p. 9 *aster to ther Eddere and wester to tha Sinfalem*, i. e. ab Egidora usque ad Sinkfal).

In docum. a. 1241: *Thomas Flandrie et Hannonie comes: fecimus apud Mudam frankam villam, et consessimus omnibus illis de Muda scabinagium et legem ville Brugensis* etc.; *absolvimus universos infra dictum scabinagium de Muda manentes ab omni teloneo infra villam Mudam, infra villam de Dam, et undique infra portum qui vulgariter appellatur Cincval* etc., Kluit Hist. crit. comitatus Holtland. II. P. 2. p. 1031. In dipl. a. 1275: *Margareta Flandrie et Haynonie comitissa* confirmat ad verbum doc. a. 1241, pro *Cincval* autem exaratur *Sincfal*, Kluit ibid. p. 1032.

Iacobus de Maerlant, poeta Flandriae, dicit in poemate suo Spiegel Historiael, circa annum 1286 finito, Abs. I. B. 1. c. 33. v. 66: *Al Vrieselant verre ende na, tusscen der Elven ende Sincval, rekent men te Sassen al. Daer es Germania af thovet*, Spiegel Historiael door de Vries en Verwijs etc. Leiden 1863. I. p. 37; ibid. Abs. III. B. 8. c. 93: *Alle die lieden ghemeenlike, die lancs der zee saten hene, tusscen der Wesere enten Zwene, dat tien tiden hiet Sincval, wart ane Gode bekeert al, bi Willeborde, bi Willade, ende bi Bonifacis predicade*, Spiegel Historiael, III. p. 162; ibid. v. 17: *Dit lant, dat wi noemen al, tusscen der Weseren ende Sincval, dat was al, breet ende lanc,*

condita, quibus accessus maris arceretur, et oppidum ibidem ortum ex iis nomen accepit Slusa (vel Sluis, Francogallis Ecluse), i. e. emissarium [9]. Exeunte tandem saeculo tertio decimo sinus maris antiquus Sinkfal, aggeribus atque emissariis - in angustias compulsus, nomen accepit Swene fluvioli (hodie *'t Zwin*), qui antiquitus cursu suo ad sinum illum profluxerit et saeculo tertio decimo inter Cadsand et Mudam in mare Britannicum derivatus fuerit [10].

Ostium fluvii Sinkfal tempore antiquissimo erat confinium Frisiae et Flandriae. Fluvium ipsum ad Flandriam pertinuisse testantur verba Adami Bremensis et Alberti Stadensis *(in Flandriam ad Cincfal)*, aeque ac diplomata annorum 1241 et 1275, quibus comites Flandriae, cives oppidi Muda liberaverunt de vectigalibus „infra portum Sincfal" sibi solvendis; et his locis accedunt plures alii scriptorum ac diplomatum saeculo tertio decimo concepti qui commemorant *portum Flandriae, qui dicitur Swin* [11]. Flandriam autem adiacuisse Frisiae, testis est Lambertus de Hersfeld, dicens ad annum 1071: *Fresiae, quae confinis est Flandriae*, Mon. G. SS. V.

8 Vide Kluit Hist. crit. com. Holl. I. P. 2. p. 124 et inter locos ibidem allatos illum ex Ioh. Iperii Chron. S. Bertin. p. 666 ad annum 1180: *Hoc tempore maxima maris inundatio villam Brugis involvit; quamobrem comes Flandriae stancam* [i. e. aggerem] *contra mare fecit, et super illa villam nomine Dam, quae in principio vocata fuit Hondedam*, atque ex Rigordo de gestis Philippi ad a. 1213: *Classis sua secuta est eum per mare, usque in portum famosissimum, qui dicitur Dam, distantem Brugiis duobus milliaribus*, et dipl. a. 1228: *si teloneum, quod apud Dam accipi solebat, alibi acciperetur propter loci permutationem vel aquae interclusionem.*

9 Conf. Kluit Hist. crit. Holl. I. P. 2. p. 127.

10 Conf. van der Aa Aardrijkskundig Woordenboek. XV. p. 437, atque ibidem adnotata ex Weesboek van S. Anna ter Muiden *liggende binnen der prochie van Westcapelle uppet oude Zwin.*

11 Menco ad a. 1269: *omnes hae quinquaginta naves in portu Flandriae qui dicitur Stein* [emend. *Swin*] *fuerunt congregatae*, Matthaei Anal. 4°. II. p. 173; dipl. a. 1276 et 1277: *in Flandria ad portum ibidem*

181. — Eodem modo quo tempore legis Frisionum fluvius Sinkfal fines fecerat Frisionum occidentalium, saeculo decimo tertio Zwene erat finis Selandiae, quod nomen tunc acceperat extrema pars Frisiae occidentalis inter Sinkfal et Mosam sita: in diplomate anni 1271 de Selandia verba legimus: *ex parte orientali der Mase, vel ex parte occidentali der Zwene*, Mieris I. p. 356 (vel Kluit II. P. 2. p. 788); neque alios Selandiae fines declarant nomina Heidene-se et Bornisse, quibus permulta diplomata saeculi tertii decimi et quarti decimi utuntur.

b) Fli. Fluvium Fli medio aevo commemorant hi loci:

In lege Frisionum *occidentales Frisiones inter Flehi (Flehum, Fli) et Sinkfalam* nominantur, vide locos supra p. IV allatos; eorum terrae, quae dicitur *cis Fli* L. Fris. I, 3. 4. 5. 8, opponitur Frisia inter Fli et Laubachi sita: *haec lex inter Laubachi et Flehum custoditur; caeterum inter Flehum et Sincfalam* etc. L. Fris. XIV, 2; *inter Laubachi et inter Flehi* L. Fris. Add. III. 78.

In Vita S. Liudgeri I. c. 18 ad a. 782: *Widukint dux Saxonum eatenus gentilium, qui evertit Frisiones a via Dei, combussitque ecclesias et expulit Dei famulos, et usque ad Fleo fluvium fecit Fresones Christi fidem relinquere et immolare idolis iuxta morem erroris pristini*, Mon. G. SS. II. p. 410.

In Fries. Küre 10 (quae concepta est circa annum 1200) dicunt Frisiones confoederati, inter Fli et Wisaram habitantes: *se non oportere exercitum ducere ulterius quam ad Wiseram versus orientem, et versus occidentem usque Fli* (Fris. *wester to tha Fli)*, etc., vide supra p. V.

---

qui Suin appellatur, Mieris Charterb. I. p. 384. 394; a. 1298: *in Flandria ad forum ibidem qui Swin appellatur*, van Wijn Byvoegs. tot Wagenaar I. p. 88 et Driessen p. 577.

In diplom. a. 1314 Willelmus comes Hainoniae, Hollandiae etc. in feudum dat fratri suo *Ian van Hennegouwe onse lant Tessel, alse wy 't hebben liggende tusschen dat zie, ende Maersdiepe ende den Vlie*, Mieris II. p. 144. Et a. 1314: *Iehans de Haynnau faisons sçavoir à tous, que... nous eust delivreit et asseneit le terre de Tessel en Frise ...gisant entre Damckzie et Maersdiept et le Vlye*, ibid. p. 147.

Scriptores Romanorum Pomponius Mela et Plinius referunt Rhenum haud procul a mari dispergi, *atque ad dextram iam non amnem, sed ingentem lacum, Flevo* dici; et Pomponius Mela III. c. 2 § 70 addit: *ubi eiusdem nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.* Ex auctoritate scriptoris utriusque tempore Romanorum Rheni pars septentrionalis defluxit in lacum, quem, aeque atque insulam quandam in eodem sitam, Flevo vel Flevum nominaverunt; ex lacu autem illo fluvius Flevum iterum arctior factus in oceanum emissus est. Lacus, quem scriptores illi dicunt Flevum et e tempore Romano fluctus valde mutaverunt, medio aevo nominatur Almere[12], hodierno tempore nomen Zuider-zee, id est mare austriacum habet, quod primum mihi occurrit in diplom. ann. 1272 et 1276[13]. Fluvius vero ille, qui ex lacu illo in oceanum septentrionalem influit, omni tempore nomen antiquum Flevum vel Fli retinuit, neque ostium suum mutavit; nisi enim omnia me fallunt, recte iudicant, qui censent, Flevi ostium fuisse aetate Romana, ubi etiam hodie est, inter insulas Terschelling et Vlieland[14]. Tempore medii aevi, quo insula

12 De Almere confer. Vita S. Bonifacii c. 34. 38 in Mon. G. SS. II. p. 349. 351; docum. reg. Ottonis a. 948. 953 ap. Heda p. 84. 87, et regist. vet. bonor. Ultraiect. ed. Heda p. 66.

13 In diplom. a. 1272 et 1276 Haquinus et Magnus reges Sueciae et Norwegiae commemorant *de steden an der Sudersee, als Campen* etc. Driessen pag. 548. 552 (ex orig.).

14 Conf. Acker Stratingh Aloude Staat. I. p. 272. Quae viri doc-

Vlieland ad insulam Texele pertinebat, testante diplomate anni 1314 laudato, terra Texele sita erat inter Maresdiep et Fli, quo probatur errare qui censeant, fluvium Flevum tunc defluxisse per Maresdiep, sinum quendam maris prope Helder situm.

Tempore legis Frisionum fluvius Fli (quo nomine, ut explicavi, medio aevo non lacus Zuyderzee declaratur, sed meatus eiusdem in mare septentrionale) separavit Frisiam occidentalem et orientalem; vide capitula legis p. X laudata [15]. Anno 782 p. Christum Frisiones occidentales non erant socii Widukindi ducis Saxonum, contra Karolum regem pro diis patriis et libertate antiqua pugnantis; Frisiones in parte orientali Flevi sedentes e contrario tunc bello Saxonum interfuerunt, Francorum praefectos ex terra expulerunt, ac Widukindus Saxo, ut commemorat Altfridus in Vita Liudgeri: *usque ad Fleo fluvium fecit Frisiones Christi fidem relinquere.* — Saeculo tertio decimo Frisiones occidentales non accesserant in foedus illud Frisionum inter Fli et Wisaram, quod plura condidit statuta, quorum antiquissimum „septendecim petitiones" nominatum constituit foederatos non esse coactos „exercitum ducere ulterius versus occidentem quam usque Fli".

c) Laubachi. Fluminis Laubachi mentionem faciunt hi loci:

Lex Frisionum XIV, 2 et Add. III, 78: *inter Laubachi ac Flehum*; ibid. IV, 4. XVI, 1: *inter Laubaci*

---

tissimi Eekhoff Geschiedenis der Middelzee. Leeuwarden 1834 et Ottema in De Vrije Fries. 1846 IV. p. 105—214 et in Het Meer Flevo. Leeuwarden 1854, de hac re disputaverunt, alio loco refellam.

15 Plures scriptores recentiores putant fluvium Isalam, prope Kampen in lacum Zuyderzee defluentem, medio aevo nomen Fli habuisse ac Frisiones occidentales et orientales separasse, vide verbi gratia: Zeuss Die D chen p. 137. Waitz D. Verfass. G. III. p. 108. Stobbe D.

et Sinkfalam ibid. I, 3—5. 8. 10. 12. 21. IX, 13. XIV, 4. Add. III, 58. 68. 73: *inter Laubachi et Wisaram*, vel *ultra Laubachi*, Lex Fris. XVII, 4. XVIII, 1. XXI.

In Vita Gregorii, qui post mortem Bonifacii a. 755—775 Ultraiectensi ecclesiae praefuit, a Liudgero eiusdem discipulo scripta, legimus in cap. 10: *Doctrina sua beatus Gregorius Traiectum, antiquam civitatem, et vicum famosum Dorstad, cum illa inradiavit parte Fresoniae, quae tunc temporis christianitatis nomine censebatur; idem usque in ripam occidentalem fluminis quod dicitur Lagbeki, ubi confinium erat christianorum Fresonum ac paganorum cunctis diebus Pippini regis*, Mabillon Acta S. Bened. Saec. III. P. II. p. 295 (ed. Venet).

In Vita Liudgeri auctore Altfrido († 849) I. cap. 19: *Gloriosus princeps Karolus constituit* (anno 785) *eum* (S. Liudgerum) *doctorem in gente Fresonum ab orientali parte fluminis Labeki super pagos quinque, quorum haec sunt vocabula: Hugmerchi, Hunusga, Fivilga, Emisga, Fedritga, et unam insulam Bant*, Mon. G. SS. II. p. 410.

In Vita S. Willehadi auctore Anskario († 865) cap. 3: *Venit* (S. Willehadus) *in Fresiam ad Dockyn-chirica, quod est in pago Hostraga,... inde procedens transivit fluvium Loveke, venitque ad locum Humarcha*, Mon. G. SS. II. p. 380.

Dipl. reg. Henrici a. 1040: *praedia inter Emese et Laveke*, Heda p. 121.

Emo ad a. 1234: *a Stauria* (in ripa lacus Zuiderzee) *usque Lavicam*, Matth. Anal. II. p. 99. Emo, abbas monasterii in villa Wittewierum (in pago Fivelga) constructi, nominat ad annum 1224 et a. 1231 *loca trans Lavicum* p. 74.92, et ad annum 1232 *Translavicenses* p. 93.

Rechtsq. I. p. 181. Utramque ripam Isalae fluminis medio aevo Frisiones non habitaverunt.

Anonymus Ultraiectin. ad a. 1230: *omnes a Stauria usque ad Bornedam, reliqua vero pars Fresiae a Borneda usque ad Lavicam*, Matth. Anon. Ultrai. p. 37.

Continuat. Menconis ad a. 1287: *a Stauria usque ad Laicam..., et a Layca usque ad Emesam*, Matth. Anal. II. p. 197.

Melis Stoke Rijmkron. III. v. 573: *tlant van boosten Heidinzee toter Lavecen voert mee*, Huydecoper II. p. 46, et ibid. I. v. 191: *in Vrieslant toter Lavecen oest*, ibid. I. p. 28; ibid. I. v. 49: *oest toter Lavecen of ter Elven*, I. p. 10; ibid. II. v. 1132: *Willem wort gheweldich grave van Oestvrieslant, ende stont strijds ave ieghen den broeder, ende had in hant toter Lavecen al de lant*, ibid. I. p. 458.

In dipl. a. 1399 1402. 1403. 1405: *lande von Vreesland de gelegen ziin tuschen der Emeze ende der Lauwerse*, Driessen III. p. 510 (ex orig.); a. 1415: *tuschen der Lauwers ende der Wezere*, Schwartzenberg I. p. 389; a. 1421: *onse landen van Oestvrieslant, dat is te weten van onser stat van Staveren, van Westergo, van Ostergo totter Lauwerzee, van dair totter Oestereemse* etc., Schwartzenb. I. p. 424; a. 1421: *alle de lande, eylande en omlande omtrent 't gemeine Vrieslant gelegen tuschen de Weser en 't Meersdiep: aen die westside der Lauwers...; an die oestside der Lauwers* etc., Brenneisen I. P. 2. p. 33 (ex orig.); a. 1422: *wy an de oesterzyd der Lauwerze..., ende wy an der westerzyd van der Lauwerze*, Rengers Werken I. p. 124 (ex orig.); a. 1427: *de landen de liggen tuschen der Lauwersche ende der Eemze*, Idsinga II. p. 345.

Flumen Laubachi vel Laveke, aggeribus et emissariis in angustias compulsum, quod nunc dictum est *de Lauwers*, terminat hodierno die provincias Friesland et Groningen; *oritur ex paludibus Drechteranis, atque recto in septentriones cursu, hodie quidem M. P. IX.*

non longiore, fertur in sinum oceani, cui ab amne nomen de Lauwers-zee, Menso Alting Notitia Germaniae inferioris II. p. 110. Fusius disputatur de flumine Lauwers in A. Stratingh Aloude Staat I. p. 287.

d) W i s a r a:

In lege Fris. I. 3—5. 8. 10. 12. 21. IX, 13. XV, 3. Add. III, 58. 68. 73: *inter Laubachi et Wisaram.*

In Fries. Küre 10 (circa annum 1200 scripta): *in orientem ad Wiseram et in occidentem usque Fli;* vide supra p. V

In diplom. anno 1415: *tuschen der Lauwers ende der Wezere*, Schwartzenberg I. p. 389; a. 1421: *onsen landen van Oestvrieslant totter Lauwerze, van dair totter Oestereemse, ende voirt totter Yade, ende totter Weser toe*, Schw. I. p. 424; a. 1421: *alle de lande, eylande en omlande omtrent 't gemeine Vrieslaut gelegen tuschen de Weser en 't Meersdiep*, Brenneisen I. P. 2. p. 33 (ex orig.).; a, 1422: *wy an beyden zyden in den landen by westen ende bi oesten der Lawerse toter Wezer*, Rengers Werken I. p. 125 (ex orig.).

Conferenda sunt duo diplomata anni 1422, quorum sunt haec verba: *des gemenen Vrieslandes van der Zuderzee to der Wezere*, Rengers Werken I. p. 134 (ex orig.), et *in allen landen ende steden tuschen der Zudersee ende der Wezere*, ibid. p. 131.

Vide etiam in diplomate anni 1421 verba: *'t gemeine Vrieslant gelegen tuschen de Weser en 't Meersdîep* [16], Brenneisen I. P. 2. p. 33 (ex orig.).

F l u m i n i b u s S i n k f a l, F l i, L a u b a c h i e t W i s a r a, quorum situm in antecedentibus illustravi, tres Frisiae partes erant finitae. F r i s i a o c c i d e n t a l i s, inter Sinkfal et Fli sita, continebat littus maris

16 De portu vel sinu Maersdiep dictum est supra p. X

septentrionalis, inde a Flandriae finibus usque ad Nordhollandiae insulas maxime septentrionales, vel provincias hodiernas Nederlandicas Zeeland, Zuidholland cum parte occidentali provinciae Ultraiectinae, et Noordholland; Frisia media, inter Fli et Laubachi sita, provinciam Nederlandicam, quam dicunt Friesland; Frisia orientalis, inter Laubachi et Wisaram sita, provinciam Nederlandicam Groningen (excepta quidem urbe Groninga, quae in terra Drentina est condita, et terra Westerwoldensi), Ostfriesland hodie regi Hannoverano adscriptam, et partes septentrionales ducatus Oldenburgensis.

In maiore parte Frisiae occidentalis tempore saeculi undecimi nomen Frisionum exstinctum est: terra maritima inter fluvium Sinkfal (vel Heidenesee) atque ostium Mosae (vel Bornisse), nomen comitatus Se-land vel Selandiae accepit; terra inter Bornissam et Sipam (prope Alcmar sitam) comitatus Holt-land vel Hollandia vocabatur; et sola pars septentrionalis inter Sipam et Fli, nomen antiquum Frisiae retinuit et West-Frisia vel Frisia occidentalis est nuncupata [17].

Littus australe lacus Zuiderzee inter Naarden et Kuinder, et regiones littori illi confines, quas interfluunt

---

17 Nomine Frisionum occident. utuntur: Lex Fris. Add. III, 58: *apud occidentales Frisiones inter Flehi et Sincfalam;* Annales Fuldenses ad a. 876: *Frisiones qui vocantur occidentales cum Nordmannis dimicantes victores extiterunt*, M. G. SS. I. p. 389; docum. a. 1118: *ecclesiam in occidentali Fresia in villa Medenblec.* Heda pag. 152. Vocem reductam arctiorem in sensum ostendunt Annales Egmondenses ad annum 1166: *Fresones occidentales, qui habitant trans vadum Occenvorth ..., in agros oppiduli Alcmare conscenderunt.* Kluit I. p. 113 et Mon. G. XVI. p. 464 et ad annum 1167: *comitatus Hollandensis et Fresonicus ad unum pertinet comitem, et utriusque populi confinium et quasi divisio est villa Ekmundensis*, Kluit p. 115 et M. G. XVI. p. 466. Conferas Emonem ad a. 1256: *Fresones extremi versus occidentem, qui dicuntur Westlingi* (i. e. West-Flingi), Matth. Anal. II. p. 157.

amnes hodie dicti Eem, Issel et Vechte, vel pagi antiqui Fletheti, Feluve, Hamaland, Islego et Salland, numquam Frisiae partes erant, neque incolae pagorum quos dixi lege Frisionum usi sunt. Non me fugit illud Folkeri diploma anni 855, ex copiario Werdinensi typis impressum in Martene et Durand Collectione amplissima I. p. 140, in Kindlinger Münstersche Beiträge II, Urkundenb. p. 19, et in Lacomblet Rheinisches Urkundenbuch I. p. 30 [18], quod sexcenties viri docti eo consilio ducti allegaverunt, ut demonstrarent legem Frisionum in regionibus illis observatam fuisse. Textus autem diplomatis Folkeriani nobis traditus, certissime ex duobus documentis compositus est, et dicit, quod ex ipsa lege Frisionum compertum habemus, Frisiones orientales et occidentales „*secundum ewa Fresonum*" bona sua tradidisse [19].

Viris doctis, qui putaverunt temporibus antiquissimis, legem Angliorum et Werinorum, hoc est Thuringorum, in Frisia circa ora Mosae viguisse, hoc loco nihil oppo-

18 Textum diplomatis quem publicaverunt Martene et Kindlinger, repetunt Miraeus III. p. 561; Bondam I. p. 33; Binterim et Mooren Cod. dipl. I. p. 87, aliique.

19 Verba dipl. a. 855 sunt: „Ego Folckerus quasdam proprietatis meae res in pago Hamulande in comitatu W., nec non et in Batuve in comitatu A., coram testibus secundum legem Ripuariam et Salicam, *nec non secundum ewa Fresonum*, in proprietatem monasterii Werdinensis tradidi, et secundum praedictas leges vestituras feci. Haec sunt nomina locorum praefatae hereditatis: in pago Felva.., in pago Flethetti.., in insula Batue... *Item commentariolum de hereditate Folkeri, quam habet in Frisia: in pago Kinhem* (i. e. Kennemerland, terra Nordhollandiae).., *in pago Westrachi* (in Frisia inter Fli et Laubachi sito).., *in pago Humerki* (in Frisia inter Laubachi et Wisaram sito).. Haec igitur traditio facta est coram testibus in pago Flethetti in villa Hlara.., et in pago Batua in villa Hlegilo. Haec sunt nomina testium, qui hanc traditionem secundum legem Ripuariorum fieri viderunt." Verba textus quae sunt interpolata, typis cursivis exscribenda curavi; eaque sumpta censeo ex alio quodam diplomate, quo Folkerus coenobio Werdinensi bona in Frisia donavit. Qui diplomati adscripsit donationem bonorum Frisicorum, inseruit: *item commentariolum* etc., et addidit verba *nec non secundum ewa Fresonum.*

nam; equidem non dubito, quin eorum opinio sit falsa: pagus Turingasnes, quem situm fuisse dicunt in regione oppidi Dordrecht, ipsa est Thuringia in media Germania [20]; de iudiciis autem Wulemari, quae in textu Heroldiano legis Thuringorum leguntur, vide infra in fine Praef.

Frisiones, qui tempore legis Frisionum conditae tres illas Frisiae partes habitaverunt, iure in fundamentis et principiis consentiente, neque tamen ubique eodem usos fuisse, demonstrat ipsa lex Frisionum, quae plurimis in locis distinguit ius Frisiae inter Sinkfal et Fli ab eo inter Fli et Laubachi, utrumque vero a iure inter Laubachi et Wisaram. Lex Frisionum quin hac in re testis sit locuples non est quod dubitemus [21], idque confirmatur omnibus in partibus iure recentiore Selandiae, Hollandiae, Westfrisiae et terrarum Frisicarum quae inter Fli et Wisaram sitae sunt.

Aeque ac ius sermo Frisicus trium partium Frisiae antiquae ubique erat sui similis, neque tamen idem. Frisicus sermo Frisiae inter Wisaram et Laubachi, quem ex codicibus de iure eiusdem terrae saeculis XIV et XV scriptis novimus, ab eo sermone differt, quo utuntur codices de iure Frisiae inter Laubachi et Fli eodem tempore scripti; sermo Frisiae orientalis magis congruit cum anti-

---

20 In testamento S. Willibrordi legimus: *Inluster vir Hedenus mihi condonabat omnem portionem suam in villa Aimistadi super fluvio Wielheo in pago Turingasnes*, Hontheim I. pag. 116. Bona, de quibus vir sanctus testatus est, dono receperat anno 704; diploma de donatione dicit: *Hedenus vir illuster.. et clarissima coniux Theodora* ... (tradunt) *curtem in Arnestali* (emend. *Arnestati*) *super fluvio Huitteo* (emend. *Huilleo*), Hontheim I. p. 99. Donator „Hedenus vir illuster" est „Hedenus dux Thuringorum", confer. diplom. a. 716, Hontheim I. p. 111 et Wenck Hess. G. II. p. 213; villa nominata autem, ut iam vidit Eckhart, villa Arnstadt sita in ripa Welge neque procul a Mullenberg, i. e. Mülenberge, cuius ipsum documentum anni 708 mentionem facit. Conferas quae contra dixerint viri docti Molhuysen in Nijhoff Bijdragen III. p. 66 et Waitz Salisches Recht p. 51.

21 Aliter sentit Daniels D. Reichsg. I. p. 263.

quo sermone Anglico, sermo Frisiae mediae cum eo, quem legimus in documentis vel libris antiquis Saxonum Westfalensium; sermoni autem utriusque terrae Frisico opponendus est sermo Frisicus occidentalium Frisionum, qui quidem cum lingua, quam dicunt saeculo tertio decimo Brabantinam, cognatione quadam continetur [22].

Sermone et iure nobis tradito singulos Germanorum populos medii aevi maxime discernimus, neque in dubio relinquere velim homines ipsos Frisicos tres partes Frisiae tunc habitantes, quorum sermo et ius modo dicto discrepavit, animo et corpore et omni genere vivendi Frisiones, neque tamen omnino fuisse eosdem [23], et hanc ob causam tempore antiquissimo nomina diversa habuisse. Tempore Romanorum Frisiones inter Fli et Laubachi habitantes, ut hodierno die, Frisiones vocabantur; Frisiones orientales nomen Chaucorum minorum habuerunt, et Frisiones occidentales pluribus nominibus erant distincti; Plinius enim refert, insulas Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsacorum, inter Helium (Vahalim?) ac Flevum sterni. Fines Frisionum occidentalium medio aevo a Mosa usque ad fluvium Sinkfal erant promoti; neque Amasis, ut testatur Ptolemaeus, sed flumen Laubachi, sex miliaria in occidentem versus ab Amasi remotum, separabat Frisiones medios et Chaucos, id est Hugas vel Huga, ut in sermone Anglosaxonico et Frisico scribuntur, quorum pagum terminalem Hug-merke, in ripa orientali fluminis

22 Documentum antiquissimum sermonis, quo utebantur Frisiones occidentales, censeam esse verba Germanica, quae in lege Frisionum nobis occurrunt; vide quae ad haec verba de eorum formis adnotavi in legis Frisiorum editione.

23 Conferas verba quae leguntur in Vita S. Bonifacii cap. 34: *Gens Fresonum interiacentibus aquis in multos agrorum dividitur pagos, ita ut diversis appellati nominibus unius tamen gentis proprietatem protendunt*, Mon. G. SS. II. p. 349, et quae dicit Saxo grammaticus de Frisiis septentrionalibus in littore ducatus Sleswicensis: *hos a Frisonum gente conditos, nominis et linguae societas testimonio est.*

Laubacbi situm, ex Hugis ipsis nominatum esse arbitror [24].

III. Tempus quo lex Frisionum litteris sit mandata, neque in ipsa lege, neque in alio quodam scripto medii aevi traditum est; hanc ob causam scriptorum opiniones de eo maxime inter se discrepant: plurimi recentiores censent, legem conceptam esse tempore Karoli Magni [25], antiquiores vero originem eiusdem saeculo septimo vel octavo attribuerunt; verbi gratia [26] coniecit Sibrandus Siccama in Lege Frisionum, Franekerae 1617. p. 135, legem Frisionum scriptam esse tempore Dagoberti regis, Heineccius autem in Antiquitatibus Germanicis, Lipsiae 1773. I. p. 356, tempore Karoli Martelli, et F. I. van Halsema in Verhandelingen door een Genootschap te Groningen, 1778. II. p. 145—151, rerum Frisicarum optime gnarus, disseruit, legem ante Karolum Magnum litteris conceptam, tempore imperatoris autem, ac denuo post mortem eius emendatam esse. Fuerunt etiam nonnulli scriptores qui iudicaverunt, legem Frisionum post tempora Karoli Magni scriptam et emendatam esse;

24 Conf. quae de Frisiis scripsi in Bluntschli Deutsches Staatswörterbuch IV. p. 2.

25 M. von Wicht Ostfriesisches Landrecht, 1746. Vorber. p. 64; van Schwartzenberg Charterb. van Vriesland, 1768. I. Vorr. p. XLI, Tegenwoordige Staat van Vriesland, 1784. I. p. 247; Wiarda Asegabuch, 1804. p. XVII et in von Duve Zeitschr. für Hannov. Rechtsw. Lüneburg, 1822. I. 2. pag. 132—170; Eichhorn D. Rechtsg. § 144, Gaupp Lex Frisionum, 1832. p. XX et Germanistische Abhandlungen, 1853. p. 26; Phillips Deutsche Gesch. 1834. II. p. 281; Türk Altfriesland, 1835. p. 47; Beucker Andreae Disq. de orig. iur. municip. Fris. 1840. p. 73; Fockema Schetsen v. d. Fries. Gesch. 1840. II. p. 123; Wilda Strafrecht, 1842. p. 102; Davoud Oghlou Histoire de la législation, 1845. II. p. 207; Strating Aloude Staat, 1852. III. p. 260; Stobbe D. Rechtsq. 1860. I. p. 184; Waitz D. Verf. G. 1860. III. p. 144.

26 Herold, qui anno 1557 primus legem Frisionum edidit, in praefatione Orig. Germ. nullum omnino verbum facit de eadem; p. 2 nominantur *auctores legum infra scriptarum ac eorum anni* et in numero eorum *Saxmundus sapiens anno* 600.

nomino Suffridum Petri de scriptoribus Frisiae, dec. VII. c. 10, cuius sententiam nullis argumentis confirmatum, quam olim S. Siccama impugnaverat [27], nostro tempore magna ex parte revocavit M. de Haan Hettema Oude Friesche Wetten, Leeuwarden 1851. II. p. 335. 344, dicendo legem Frisionum scriptam esse inter annos 802—804, additiones Wulemari inter annos 904—936, additiones Saxmundi inter annos 1213—1276 [28].

Omnes fere viri docti, qui disputaverunt de lege Frisionum, consentiunt, legem ipsam et additiones legis non eodem tempore scriptas esse; atque inter eos, qui legem conditam a Karolo Magno dixerunt, plurimi putant, additiones legis ipso regnante legi esse adiectas.

Ex mea sententia tres partes legis Frisionum sunt discernendae [29], ac diversis temporibus conceptae. Antiquissimam partem legis conditam esse censeo, postquam anno 734 Karolus Martellus Frisiam mediam regibus Francorum subiecerat, et quidem ipso Karolo Martello vel Pippino eius filio regnante, in usum Frisiae mediae; alteram partem legis, postquam anno 785 Karolus Magnus Frisiam orientalem subiecerat, in usum omnis Frisiae; tertiam denique partem, vel additiones legis, anno 802, et quidem eo consilio ut ius Frisionum pluribus in locis emendaretur.

Fundamentum, vel ut verbo utar basin, sententiae meae de tempore, quo litteris sit conceptus textus noster legis Frisicae, dico tempus quo Francorum

27 Conf. etiam Schwartzenb. Chart. I. Vorr. p. XCV.

28 Legem Frisionum post mortem Ottonis I imperatoris scriptam esse, coniicit M. de Haan Hettema: Het Meer Flevum, Leeuwarden 1854. p. XIII, ex eo quod in eadem fluvius Sinkfal fines fecisset Frisionum occidentalium. Ypey Nederlandsche Taal, 1832. II. p. 121 censebat, scriptam esse legem Frisionum tempore Karoli Magni, additionem legis vero circa annum 900.

29 In libro meo Fries. Rechtsquellen, Berlin 1840. p. I. hanc sententiam breviter notavi, neque tamen exposui.

reges sibi subiecerunt tres Frisiae partes, quarum fines supra illustravi; hanc ob rem quam diligentissime constituendi mihi sunt anni, quibus tres partes Frisiae regno Francorum sint attributae.

a) Frisia occidentalis. Dagobertus I, qui ab anno 622 usque ad annum 638 rex erat Francorum, ecclesiam condidit Traiecti ad Rhenum in castello ad fines Francorum in Frisia occidentali extructo; Frisiones castellum Traiectinum a Francis recuperaverunt ac diruerunt ecclesiam; neque Frisia occidentalis tunc regno Francorum erat subiecta [30]. — Tempore Dagoberti II, teste Beda Venerabili in Historia ecclesiastica gentis Anglorum V. c. 19. § 418, S. Wilfridus, episcopus Eboracensis, anno 677 „ex Anglia Romam iturus, navem conscendit, et flante Favonio pulsus est Fresiam; ibique honorifice susceptus a barbaris ac rege illorum Aldgislo, praedicabat eis Christum, et multa eorum milia verbo veritatis instituit." Atque Eddius Stephanus, qui socius S. Wilfridi anno 677 in Frisia evangelium praedicavit, narrat in Vita S. Wilfridi cap. 26, copiosius iis explicatis quae ex Bedae Historia ecclesiastia laudavimus: *Eodem tempore Efruinus, dux Theoderici regis Francorum, misit nuntios suos cum literis ad Aldgelsum* (emend. *Aldgislum) regem Freis* (em. *Fresiae*), *salutans eum verbis pacificis, promittensque ei modium solidorum aureorum dare, si Wilfridum episcopum aut vivum deductum, aut caput eius occisi sibi emisisset. Statimque rex praesentibus nobis et nuntiis coram populo suo in palatio*

30 Conf. epistolam Bonifacii 97 ad Stephanum pap. scriptam: *Coloniensis episcopus dicit sedem Ultraiectinam ad se pertinere propter fundamenta cuiusdam destructae a paganis ecclesiolae, quam Willibrordus dirutam usque ad solum in castello Traiecto reperit..; et refert quia ab antiquo rege Francorum Dagoberto castellum Traiectum cum destructa ecclesia ad Coloniensem parochiam donatum fuisse* etc.

epulantibus omnibusque audientibus, legi literas iussit; post lectam vero chartam in ignem proiecit etc. Et in capitulo 28: *Postquam pontifex noster in Freis* (em. *in Fresia) hiemaverat, populum multum Domino lucratus, verno tempore adveniente, coeptum iter carpebat, veniens ad Francorum regem nomine Daegberth, qui eum cum honore mansuetissime pro meritis eius anteactis in eum suscepit;* Gale Script. hist. Britann. I. p. 64. Haec verba scriptoris aequalis probant, anno 677 Aldgislum regem fuisse Frisiae liberae, neque tunc Frisiam sub ditione regum Dagoberti II et Theoderici fuisse, vel contra Francos bellum gessisse. — Duodecim annorum autem spatio intermisso, teste continuatore Fredegarii [31], Pippinus ab Herestal Radbodum Frisionem vicit Durestadii, quod in confinio Frisionum et Francorum situm est ad Rhenum, inde Traiectum defluente. Causam belli anno 689 gesti inter Pippinum, qui anno 687 susceperat administrationem totius regni Franconici, et Radbodum, quem dicunt filium Aldgisli regis, cognitam non habemus; ex iis autem quae Beda in Historia ecclesiastica Anglorum narrat, efficitur, Pippinum victoria illa Frisiam occidentalem Francis subiecisse. Paulo antea Wicbertus, teste Beda, Frisionibus et Radbodo regi eorum per duos annos frustra evangelium praedicaverat; anno 690 contra S. Willibrordus, ex Anglia in Frisiam profectus, plurimos Frisiones ad cultum christianum convertit, sustinente eum „ Pippino „ duce Francorum, qui nuper citeriorem Frisiam cepe-

---

31 Cont. Fredegarii Chron. cap. 102: *Pippinus contra Ratbodum, ducem gentilem Frisionum gentis, adversus alterutrum bellum intulerunt castro Dorestade, illic belligerantes invicem Pippinus victor exstitit, fugatoque Ratbodo duce cum Frisionibus qui evaserant, idem Pippinis cum multis spoliis et praeda reversus est,* Bouquet II. p. 452. Quae Annales Mettenses in Mon. G. SS. I. p. 320. 321 de Frisionibus annis 692 et 697 victis referunt, fidem amittunt, quod iidem saeculo decimo scripti quae narrant Fredegario deprompserunt.

32 Ita Beda V. c. 10. § 380, qui scripsit a. 732 ipso Willibrordo

„ rat, expulso inde Rathbedo rege" [32]. Vox *nuper*, qua Beda utitur in historia rerum anno 690 gestarum, innuit annum 689, quo Pippinis Radbodum Durestadii vicerat, ut ex continuatore Fredegarii adnotavi. *Frisia citeriore* autem significari Frisiam occidentalem, quam lex Frisionum dicit *cis Fli*, neque solos pagos eiusdem in occidentali parte Rheni sitos, probat, et Pippinus illo tempore Willibrordum, auxilio Sergii papae, archiepiscopum Frisionum faciendo, et S. Adalbertus, socius S. Willibrordi, domicilium suum constituendo Egmundae in Nordhollandia [33].

Ab anno 689, quo Frisia Cisflevana a Francis erat expugnata, usque ad annum 714, Franci et Frisii liberi in pace vixerunt [34]; hoc vero anno Radbodus, Pippino mortuo ac potentia Francorum bellis internis diminuta, devicit Karolum Martellum iuvenem, et rursus occupavit Frisiam, citeriorem dictam ratione habita Francorum et Anglorum, eamque possidit usque ad mortem, quam obiit 719 [35]; Radbodo autem defuncto, Karolus Martellus terra illa iterum potitus est, atque eam regno Francorum in omne tempus attribuit. Conferas de hac re Vitam Bonifacii, quae anno 717 Radbodum paganum Durestadii et

---

adhuc vivo, neque fides habenda est narrationi Alcuini in Vita S. Willibrordi cap. 6, quae saeculo praetermisso post mortem S. Willibrordi concepta est.

33 Annal. Xantenses adj a. 694: *Pippinus dux Ratbodum ducem Fresonum bellando vicit, Fresiamque sibi subiugavit, et S. Willibrordum, a b. Sergio papa archiepiscopum consecratum, illuc ad praedicandum verbum Dei direxit. Sanctus vero Adalbertus in loco Ekmunda usque ad tempus exitus sui mansit* etc., Mon. Germ. SS. II. p. 220 et Annal. Egmond. Kluit. I. p. 5.

34 Conf. Contin. Fredegarii ed. Bouquet II. pag. 453 et Gesta Francor. ibid. p. 670. Annal. Mett. Mon. G. SS. I. p. 322. Chron. Moissiac. ibid. p. 290.

35 Fredeg. cont. c. 105. 106, Bouquet II. p. 716. Annal. Petav. et S. Amandi in Mon. G. SS. I. p. 6. 7. Mortem Radbodi adnotant ad annum 719 Annal. Petav., S. Amandi, Laurish. etc.

Traiecti regnantem ostendit, ita ut vir sanctus, qui in Frisiam venisset, ut evangelium doceret, terram relinqueret, anno autem 719, Radbodo mortuo, in ipsam rediret, atque ibidem per tres annos continuos Karolo favente Frisiones multos in cultum christianum converteret [36].

b) Frisia media inter Fli et Laubachi sita. Hanc Frisiae partem vivo rege Radbodo vel antea unquam regibus Francorum fuisse subiectam, nullum habemus testimonium. Chronica et annales Francorum tradunt, Francos inter annos 729 et 734 Frisiam inter Fli et Laubachi sitam debellasse, et quae narrant, ita interpretor, ut subiectio eius effecta sit victoria Karoli Martelli, anno 734 a Popone Frisone reportata. Legas verba Fredegarii continuati in capitulo 109: *In gentem dirissimam maritimam Frisionum nimis crudeliter rebellantem, princeps Carolus audacter navali evectione properat, certatim ad mare ingressus, navium copia adunata, Wistrachiam et Austrachiam insulas Frisionum penetravit, super Burdine fluvium castra ponens; Poponem gentilem ducem illorum fraudulentum consiliarium interfecit, exercitum Frisionum prostravit, fana eorum idolatriae contrivit atque combussit igni; cum magnis spoliis et praediis victor reversus est in regnum Francorum*, Bouquet II. p. 455. Conferas cum hoc loco verba annalium Petav., Laurisham., Nazar. etc.: *Karolus perrexit in Frisiam, et delevit eam usque ad internecionem*, Mon. G. I. p. 9. 24. 25; et Chronicon Moissiac. ad a. 734: *Karolus subiugavit Frisiam suo imperio*, Mon. G. I. p. 291, conf. Annal. Fuldens. ad a. 740, Mon. G. I. p. 345.

Frisiam mediam, inde ab anno 734 usque ad annum 785 Francorum regno attributam fuisse, neque tamen Fri-

---

36 Conf. Vit. Bonif. c. 11: *maximaque iam pars ecclesiarum Christi, quae Francorum prius in Fresia subiectae erant imperio, Redbodi incumbente persecutione, vastata erat ac destructa*, Mon. G. SS. II. p. 338.

siam trans Laubachi sitam, demonstrant, quae de cultu christiano in Frisia media constituendo nobis sunt tradita. Anno 755 Bonifacius senectute confectus ex abbatia Fuldensi in Frisiam, quam inde ab anno 722 non frequentaverat, profectus est, et Traiecto relicto, ut verbis Vitae S. Bonifacii cap. 34 utar, *per Rheni fluminis alveum penetrans, donec aquosa Fresonum arva ingrediens, trans stagnum, quod lingua eorum dicitur Aelmere* (nunc Zuiderzee), *sospes pervenit*, Mon. G. II. p. 349. Vir sanctus in pagis Frisiae mediae, quibus est nomen Ostergo et Westergo, docuit evangelium; terra erat tunc regno Francorum subiecta, et pago Ostergo vocato praefuit Abba quidam, quem rex Pippinus nominaverat [37]. Die quinto mensis Iunii a. 755, quum Bonifacius Dockingae (i. e. Dockum) in pago Ostergo mortem martyris subiret, pars Frisionum illius terrae erat christiana, pars vero pagana, vide Vitam Bonifacii cap. 36, Mon. G. II. pag. 350. Post mortem S. Bonifacii, Gregorius discipulus eius, usque ad annum 775, quo mortuus est, gubernavit ecclesiam Ultraiectinam; et Vita Gregorii, quam scripsit S. Liudgerus, Gregorii discipulus, testatur, tempore Gregorii et omni tempore, quo Pippinus regnum teneret, Laubachi flumen finem fuisse Frisionum doctrinae christianae et regno Francorum addictorum. Verba laudata sunt: *Doctrina sua b. Gregorius, Traiectum et Dorstad cum illa inradiavit parte Fresoniae, quae tunc temporis christianitatis nomine censebatur; idem usque in ripam occidentalem fluminis quod dicitur Lagbeki, ubi confinium erat christianorum Fresonum ac paganorum cunctis diebus Pippini regis;* Vita B. Gregorii c. 10, Acta S. Bened. saec. III. ed. Venet. II. p. 295. Dockingae, in

(37) Vita Bonif. c. 40: *Unus qui officium praefecturae secundum indictum gloriosi Pippini regis super pagum locumque illum* (i. e. „Osterache" et Dockinga) *gerebat, nomine Abba*, Mon. G. II. pag. 353.

memoriam S. Bonifacii, ecclesia erat exstructa, quam vocaverunt Dokin-Kirika, ibidem S. Willehadus tempore Gregorii domicilium collocaverat, et multos Frisiones in doctrinam christianam convertit; quum vero circa annum 779 conatus esset Laubachi flumen, quod fuit finis regni Franconici, docendi causa transire, in vitae periculum adductus et in regiones inter Fli et Laubachi sitas redire coactus est [38]. Ab anno 775 usque ad annum 782 S. Liudgero rerum sacrarum cura in Dokinkirika erat commissa [39].

c) Frisia orientalis inter Laubachi et Wiseram sita. Frisiones ultra Laubachi flumen habitantes usque ad annum 781 ritus paganos retinuerunt, neque Francis erant subiecti; tunc S. Willibrordus Frisiones ad os Wisarae ut videtur in pago Riustri, convertit ad cultum christianum [40]; neque tamen opus inceptum prospere successit, anno enim sequenti Frisiones omnes inter Wisaram et Fli degentes societatem inierunt cum Widukindo duce Saxonum, qui bellum acerrimum contra Karolum regem susceperat. Sacerdotes christiani ex Frisia orientali et regionibus finitimis sunt expulsi, et omnis Frisia inter Wisaram et Flevum sita rediit ad deos patrios et libertatem veterem [41]. Tri-

---

(38) In Vita S. Willehadi auctore Anskario: *Inde vero procedens transivit flumen Loveke, venitque ad locum Humarcha; ibique coepit barbaris nomen Domini praedicare; quo audito gens fera dixit reum esse mortis* etc.; *dimiserunt eum* etc., Mon. G. SS. II. p. 380.

(39) Vita S. Liudg. I. c. 15: *Albericus eum constituit doctorem ecclesiae in pago Ostrache, in loco ubi S. Bonifacius martyrio est coronatus*, Mon. G. SS. II. p. 409. Cfr. Rettberg Kircheng. D. II. p. 538.

(40) Vita S. Willehadi: *misit* (Karolus M.) *eum in partes Saxoniae ad pagum Wigmodia..; et in anno secundo* (i. e. 781) *tam Saxones quam et Fresones in circuitu commemorantes, omnes se pariter fieri promiserunt christianos*, Mon. G. II. p. 481, et confer. Chron. Moissiac. ad a. 780 Mon. G. I. p. 296.

(41) Vita S. Liudgeri I. c. 18: *consurrexit Widukint dux Saxonum*

bus annis vix peractis, Karolus rex victor domitorque Frisionum et Saxonum factus est; et annales Francorum referunt, quomodo rex Frisiam orientalem anno 785 subactam regno Francorum adiecerit, ac pagos eiusdem episcopis Monasteriensi et Bremensi attribuerit [42].

Quibus rebus breviter disputatis intelligi potest, regno Francorum attributam fuisse Frisiam occidentalem inde ab anno 689 usque ad annum 734; Frisiam occidentalem et mediam inde ab anno 734 usque ad annum 785; Frisiam omnem denique, inter Sinkfalam et Wisaram sitam, inde ab anno 785. Quae quum ita sint, fieri non potuit, ut ab anno 689 usque ad annum 785, lex quaelibet in omnem Frisiam conderetur, et inde efficitur textum legis Frisionum, nobis conservatum, qui ad omnem pertinet Frisiam, aut ante annum 689, aut post annum 785 scriptum esse. Qui censeat legem ante annum 689 scriptam esse, necesse est concedat, regem Frisiae quendam paganum eam fecisse [43]; hoc vero non fuisse, perspicuum est ac demonstratur multis illis locis legis Frisionum, qui pertinent ad cultum christianum et legislationem Francorum, ut iam saeculo decimo octavo notavit Halsema in Verhandelingen der Gron. Genoots. II. p. 146, nostro vero tempore exposuerunt Gaupp Lex

---

eatenus gentilium, combussitque ecclesias et expulit Dei famulos, et usque ad Fleo fluvium fecit Fresones Christi fidem relinquere et immolare idolis iuxta morem erroris pristini, Mon. G. II. p. 410; et Vita S. Willehadi: *de Wigmodia transiit in Utriustri, ibique conscendens navem mare circa Fresiam transfretavit... Saxones Folcardum presbyterum cum E. comite in pago Leri, Beniamin autem in Ubhriustri*, etc.... *gladio peremerunt*, Mon. G. II. p. 382.

42 Conf. Vitam Liudgeri I. c. 19: *Karolus constituit eum doctorem in gente Fresonum a orientali parte fluminis Labeki super pagos quinque* etc., Mon. G. II. p. 410, et Vita S. Willehadi: *Karolus constituit eum doctorem super Riustri* etc., Mon. G. II. p. 383.

43 Dagobertum regem legem Frisionum condidisse, quam opinionem Sibrandi Siccama supra p. XIX allegavi, confutatur iis quae de eodem supra p. XXI sunt dicta.

Fris. p. XXIV, Wilda Strafrecht p. 102, Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands, Göttingen 1848. II. p. 540 et Waitz Deutsche Verfassungsgeschichte III, p. 147. Hanc ob causam non possum quin legis nobis traditae conceptionem in tempus post annum 785 constituam; ac parvi aestimem quae quis contradixerit, ratione habita templorum paganorum in lege commemoratorum. Neque tamen liceat, legem assignare tempori post mortem Karoli Magni. Taceam de iis, qui legem Frisionum vel additiones eius saeculo undecimo aut decimo tertio attribuerunt [44]; fines Frisiae, qui in lege commemorantur, monetae quibus lex utitur, ac permultae regulae iuris quae in eadem explicantur, Frisiam saeculorum illorum perscrutanti nunquam profecto occurrunt. Reputanti autem, an forte sub Ludovico imperatore vel eiusdem successoribus textus legis Frisionum scriptus sit, multa sunt contraria. Tempore illo bella interna regnum Francorum devastarunt, neque tunc unus inter omnes libros legis, qui iura populorum regno Franconico subditorum continent, scriptus est vel emendatus. Littori Frisiae Nordmanni iterum iterumque naves appulerunt, eiusque pagos spoliaverunt, et iam Ludovicus imperator nonnullas Frisiae provincias maiores principibus Nordmannorum in beneficium dedit [45]. Illo tempore omni Frisiae, Flandriam et flumen Wisaram attingenti, librum legis conditum esse, non est quod censeam, et argumentis a lege nostra Frisionum sumptis hoc confirmari nequit.

Mihi autem textum legis Frisionum, quem post annum 785 scriptum iudicaverim, accuratius perscrutanti, permulti loci eiusdem disparati emergunt, quibus adducor, ut pro certo putem, legis partes uno eodemque tempore non esse conditas. Ex mea sententia lex anti-

---

44 Vide supra p. XIX.
45 Confer. Dahlmann Gesch. von Dännemark I. p. 39.

quissima Frisionum posteriore tempore aucta et emendata est, neque tamen qui legi capitula quaedam adiecerunt, iisque ius novum in Frisia condiderunt, antiquas constitutiones a textu legis removerunt; quo factum est, ut permultae constitutiones discrepantes in lege nostra Frisionum locum habeant, quae non sint intelligendae, nisi legem ipsam in partes, ex quibus sit composita, dissolverimus. In adnotationibus ad singula legis capitula appositis constitutiones animadverti dissonas, quae nobis aliis in capitulis legis occurrunt, hoc vero loco meum est summam facere additionum in textum legis receptarum, ex quibus partes legis, diversis temporibus scriptae, sint distinguendae.

Duae legis partes diversae primum sunt observandae:

A. Pars legis quae pertinet ad solam Frisiam mediam, inter Fli et Laubachi sitam. Dubitandum non est, quin haec sit omnium antiquissima, eique nomen legis antiquissimae impono (= I).

B. Pars altera legis, quae parti notatae est opposita, atque ad omnem Frisiam pertinet inter fluvium Sinkfal et Wisaram sitam. Hanc partem, ad Frisiam orientalem etiam pertinentem, ante annum 785 scriptam non esse, iam supra explicavi, quia Frisia orientalis antea non erat regno Francorum subiecta.

Dicta autem legis pars altera, quam a prima secrevi (= B), ut ipsam accuratius examinantem non praetereat, rursus duabus partibus constat (= II et III).

Harum partium secundae, quam tertiam omnis legis nomino (= III), in textu legis fere ubique vox Additio adscripta est; in eadem numerandi sunt loci legis sequentes:

a) *Additio Sapientum*, quo verbo duodecim tituli legis extremi inscripti sunt. Et quidem singula capitula huius Additionis ita sunt superscripta:

tit. I—III. c. 58: *Wulemarus.*

tit. III. c. 59—75: *Haec iudicia Saxmundus dictavit.*

tit. III. c. 76—78 et tit. IV—VI: *Wulemarus dicit.*

tit. VII: *Saxmundus.*

tit. VIII—XI: *Wulemarus.*

tit. XII: *Hoc trans Laubachi* (auctor tituli non adscriptus est).

b) Capitulum 10 tituli II legis Frisionum, quod superscriptum est: *Haec Wulemarus addidit.*

c) Verba nonnulla principio legis anteposita, et alia quaedam in fine capitulorum tituli primi adscripta; dico verba:

tit. I. princip. *(Incipit lex Frisionum, et) haec est simpla compositio de homicidiis.*

tit. I. ad cap. 3: *Inter Laubachi et Wisaram cum* 5, *et cis Fli similiter.*

ad cap. 4: *Inter Laubachi et Wisaram, et cis Fli, cum duobus.*

ad cap. 5: *Inter Wisaram et Laubachi, et cis Fli, cum* 23 *iuret.*

ad cap. 8: *Inter Laubachi et Wisaram, et cis Fli, cum* 48 *iuret.*

ad cap. 10: *Inter Fli et Sincfalam weregeldus nobilis* 100 *solidi, liberi* 50, *liti* 25 *(solid. denarii* 3 *novae monetae). Inter Laubachi et Wisaram weregildus nobilis* 106 *solidi et duo denarii, liberi* 53 *solidi et denarium, liti* 26 *solidi et dimidius et dimidius tremissis.*

ad cap. 12: *Inter Laubachi et Wisaram suam habet compositionem.*

ad cap. 21: *Inter Laubachum et Wisuram dominus servi non iuret, sed componat eum ac si ipse eum occidisset.*

Verba laudata, quae titulo primo legis antiquissimae ad Frisiam mediam pertinenti inserta sunt, ac de iure Frisiae orientalis et occidentalis loquuntur, tempore additionis esse concepta, ex dicto *haec est simpla compositio* coniicio. Tempore legis antiquissimae „simplae compositiones" iuris erant in Frisia; additione legis compositiones antiquae sunt triplicatae, et verbis principio tituli primi antepositis *haec est simpla compositio* exprimitur, compositiones in titulo primo nominatas, ipsas esse antiquas ac nullo modo mutatas, quae autem in praxi ter sint sumendae ex iure recentiore. Tempore, quo lex anquissima condita est, scriptor verbis *simpla compositio* uti non potuisset, nulla enim compositio multiplicata in Frisia erat cognita. Sententiam disputatam de tempore, quo verba laudata legi sint addita, firmant voces *denarii novae monetae*, de quibus conferas infra p. XXXIX.

Additionem sapientum posteriore tempore legi Frisionum adscriptam esse, longe plurimi concesserunt, qui de ea scripserunt, ac res ita manifesta est et plurimis additionis constitutionibus firmata, ut nullam mihi dubitationem relinquat.

Capitulum 10 tituli II legis Frisionum posteriore tempore legi additum eo probatur, quod superscriptum est: *Haec Wulemarus addidit*, et Wulemarus maximam partem additionis sapientum legi adiecit.

Verba tandem titulo primo legis inserta temporis posterioris esse quam legem antiquissimam, argumentis ipsis demonstratur, quae attuli eo consilio ut ostenderem, verba inserta eodem tempore scripta esse quo additio sapientum.

Sed iam satis multa de hac parte capitulorum vel verborum antiquissimae legi additorum, quam tertiam totius

legis nomino (= III); examinemus alteram partem ex mea opinione legi antiquissimae additorum, quam secundam totius legis nomino (= II).

Non video viros doctos, qui de lege Frisionum scripserint, hanc legis partem (= II) separasse a prima (= I), quam nomino legem antiquissimam; quum vero singula capitula legis Frisionum, additione sapientum exclusa, quam accuratissime inter se comparem, eo adducor, ut eandem agnoscam. Lex antiquissima (= I) solam respicit Frisiam mediam, atque omnia eius verba ita sunt concepta, ut ea legenti credere liceat tunc hanc solam, neque orientalem vel occidentalem Frisiam fuisse. Legi autem antiquissimae, his verbis declaratae, capitula quaedam sunt inserta vel addita, quorum nonnulla ius exponunt Frisionum orientalium vel occidentalium a iure Frisiae mediae diversum, alia autem mendant ius Frisiae mediae in lege antiquissima conditum; c a p i t u l a h a e c a t q u e i l l a c o n f i c i a n t p a r t e m l e g i s q u a m d i c o s e c u n d a m (— II), c u i a d n u m e r e m l o c o s l e g i s s e q u e n t e s:

tit. III. c. 8. 9 (quae capitula ius Frisiae orientalis explicant, et addita sunt ad cap. 1—7. tit. III.)

tit. IV. c. 2—8 (Capitula addita sunt ad cap. 1. tit. IV; conf. verba: *Similiter* etc.; *hoc inter Laubaci et Sincfalam* etc.; *trans Laubaci* etc.).

tit. VII. c. 2 (Capitulum 2 ad capit. 1 additum est, in eodem exponitur ius Frisicum medium et illud quod vigebat *trans Laubaci*).

tit. VIII. add. (Fini tituli additum est ius diversum, quod vigebat *trans Laubaci* etc.

tit. IX. c. 14—17 (Capitula addita sunt ad titul. VIII: *Inter Laubachi et Wisaram talis est consuetudo* etc).

tit. XII. c. 1. 2 (Capitula ius Frisiae mediae illustrant, et addita sunt ad cap. 5 et 6. tit. III).

tit. XIII (Titulus ius Frisiae mediae illustrat, et

tit. XIV. c. 3 (Cap. 3 additum est ad cap. 1 et 2 tituli eiusdem: *Haec lex inter Laubachi et Flehum custoditur* [i. e. in cap. 1 en 2 exposita]: *ceterum inter Flehum et Sincfalam fluvium pro huiusmodi causa talis est consuetudo* etc.).

ibid. c. 4—7 (Cap. 4—7 addita sunt ad cap. 1 et 2 tituli eiusdem: *De eadem re inter Laubachi et Wisaram fluvium talis est consuetudo* etc.).

tit. XV. cap. 1—4 (Capitula 1—4 weregelda Frisiae orientalis exponunt: *Et hoc in eadem regione* [i. e. inter Laubachi et Wisaram] *taliter observatur* etc.).

tit. XVI. (*Inter Laubaci et Sincfalam de fredo* etc.).

tit. XVII. c. 1—5 (Titulus inscriptus *Hic bannus est,* ius Frisiae mediae exponit, et in cap. 4 verba occurrunt: *ultra Laubachi v e r o in simplo.).*

tit. XVIII *(De die dominico...ultra Laubachi..., in caeteris locis Frisiae* etc.).

tit. XX (Titulus de iure Frisiae mediae additus est.).

tit. XXI. add. (In fine tituli addita sunt verba: *ultra Laubachi v e r o weregildum simplum.).*

Sint fortasse qui iudicent, capitula vel verba haec laudata reliquis capitulis vel verbis legis Frisionum, Additione Sapientum exclusa, non posteriore quodam tempore esse adscripta, sed ipso anno quo lex sit concepta, ita ut qui legem condiderint primum litteris mandassent illam partem legis de iure Frisiae mediae, quam dico antiquissimam, postea vero, opere suo vix finito, ipsam legem auxissent additamentis quibusdam de iure Frisiae orientalis et occidentalis, aeque ac nonnullis capitulis de iure Frisiae mediae in lege paulo antea scripta omissis. Ego vero censeo hanc sententiam esse contemnendam. Additamenta, quae ex sententia quam improbaverim, antiquissimae legi Frisionum paulo post sunt adiecta, ius continent quod ita differt ab iure in lege antiquissima exposita, ut sine dubio longius temporis spatium inter

originem legis atque eam additamentorum interfuerit; quis est, ut exemplum ponam, qui concedat, titulum primum et quintum decimum eodem anno conceptum esse, quorum ille weregeldum viri liberi $53\frac{1}{3}$ solidis, hic vero 106 solidis aestimavit.

Accuratius autem cognoscamus ius illud, quod inest capitulis legis enumeratis; id congruere ad annum 785, quo Frisia orientalis, in iis saepissime commemorata, regno Francorum subiiceretur, exemplis affirmo:

α. Bannus 60 solidorum, quem dicunt regium, in lege Frisionum antiquissima nunquam nuncupatus, occurrit in capitulis 8 et 9 tituli III et in capitulo 7 tituli XIV, quae ad Frisiam orientalem pertinent. Eodem tempore bannus regius a Karolo Magno in Saxonia introductus est; conferas Capitulare de partibus Saxoniae anno 785 datum (vel paulo antea, vide Waitz Deut. Verfass., G. III. p. 123) in capitulo 24: *nostrum bannum solvat*, Mon. G. LL. I. p. 142, conf. ibid. cap. 19—21. 25 et 31: *dedimus potestatem comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel maioribus causis in solidos* 60; *de minoribus vero causis comitis bannum in solidos* 15 *constituimus*, Mon. G. LL. I. p. 50; et Capitulare Saxonicum anni 797: *ut de illis capitulis, pro quibus Franci, si regis bannum transgressi sunt, solidos* 60 *componunt, similiter Saxones solvent, si alicubi contra ipsos bannos fecerint*, Mon. G. LL. I. p. 75.

β. Weregeldum aut fredum novies sumptum, legi antiquissimae plane alienum, ex iure capitulorum quae laudavi, his in criminibus solvendum est.

tit. VII: *Si quis domum alterius incenderit..., in duplo componat; si autem dominum domus flammis ex ipsa domo egredi compulit, et egressum occidit, componat*

eum novies.... Haec constitutio ex edicto regis processit. Trans Laubaci in fredum novies componat weregildum suum.

tit. XX. 2: *Si quis hominem occiderit et absconderit, quod mordritum vocant, novem weregildos componat.*

tit. XX, 1: *Qui obsidem occiderit, novies eum componat.*

tit. XVII, 3: *Si quis legatum regis vel ducis occiderit, novies illum componat, et fredam novies ad partem dominicam.*

tit. XVII, 2: *Qui in curte ducis, in ecclesia aut in atrio ecclesiae hominem occiderit, novies weregeldum eius componat, et novies fredam ad partem dominicam.*

tit. XVII, 1: *Si quis in exercitu litem concitaverit, novies damnum quod effecit componere cogatur, et ad partem dominicam novies fredam persolvat.*

[Add. I, 2. 3: *Homo faidosus pacem habeat in ecclesia, in domo sua, ad ecclesiam eundo, de ecclesia redeundo, ad placitum eundo, de placito redeundo; qui hanc pacem effregerit, et hominem occiderit, novies* 30 *solidos componat; si vulneraverit, novies* 12 *solidos componat ad partem regis.*]

Omnes hi loci, qui commemorant weregeldum vel fredum novies sumptum, pertinent ad Frisiam mediam; testante autem titulo VII in Frisia etiam orientali *fredus novies* sumptus iuris erat. In titulo VII, compositio novies sumenda, legi antiquissimae Frisionum aliena, introducta erat edicto quodam speciali regis Francorum, addita enim sunt ad titulum VII verba: *Haec constitutio ex edicto regis processit.* Credere velim cum viro doctissimo Wilda, Strafrecht der Germanen p. 458, omnia weregelda vel freda novies sumenda, quae occurrunt in legis Frisionum locis laudatis, in Frisia esse introducta edicto illo quod titulo VII legis nominat. Neque dubi-

tem, quin Karolus Magnus fuerit rex, qui publicasset edictum illud; titulus enim septimus Frisiam orientalem nominat, a Karolo Magno demum regno Francorum subiectam, et quae in titulo XX, 2 legis Frisionum de compositione novies sumenda nobis occurrunt, ipse Karolus Magnus in lege Saxonum II, 6 (vel ed. Merkel § 19) constituit: *si mordritotum quis fecerit, componatur primo in simplo iuxta conditionem suam* (cuius mulctae pars tertia a proximis eius qui facinus perpetravit componenda est, duae vero partes ab illo), *et insuper octies ab eo componatur.* Quem titulum legis Saxonum inter annos 785 et 797 a Karolo Magno publicatum esse, consentiunt viri docti, vide Merkel Lex Saxonum p. 5.

γ. Librae viginti solidorum. Tituli XV et XVI legis Frisionum, qui pertinent ad Frisiam orientalem, anno 785 regno Francorum subiectam, mentionem faciunt librarum viginti solidorum; has autem a Karolo Magno in regno Francorum esse institutas constat; ex edicto Pippini regis librae solidos viginti duos habuerunt.

Annus quo Karolus Magnus edixerat, ut librae essent viginti solidorum, incognitus est; vir doctus Guérard coniecit annum 779, eumque secuti sunt scriptores recentiores, verbi gratia I. H. Müller Deutsche Münzgeschichte Leipzig 1860. I. p. 96. 99 et Waitz D. Verf. G. IV. p. 70 [46].

Quae quum ita sint, censeam partem secundam legis Frisionum (= II), cuius capitula p.   laudavi, anno 785 scriptam esse; neque loci quidam dictorum capitulorum anno 785 repugnent. Non enim comprobo senten-

46 Vide Capitul. Pippini anni inc. cap. 5: *De moneta constituimus, ut amplius non habeat in libra pensante nisi 22 solidos*, Mon. G. LL. I. p. 81, et Capit. Karoli M. a. 779 c. 9, Mon. G. LL. I. p. 41.

tiam viri doctissimi Waitz Deutsche Verfassungsgeschichte III. p. 144. 304, qui exponit, ducem in lege Frisionum XVII. c. 2 et 3 nominatum confirmare sententiam eorum, qui putent legem scriptam esse ante Karolum Magnum, quo regnante nullum vult fuisse in Frisia ducem. Quamvis me non praeterierit, neminem scriptorum aequalium inter annos 785 et 802, in Frisia mentionem facere ducis; non tamen assentiam, hoc silentio scriptorum, qui paucissimis verbis his in annis de Frisia loquuntur, demonstratum esse, in Frisia tunc ducem non fuisse. Nomen ducis Frisiae scriptores saeculi noni legenti occurrit in Chron. Reginonis ad a. 809: *Godefridus rex Danorum per quosdam negotiatores mandavit duci qui Fresiam providebat, audisse se, quod ei* (i. e. Godefrido) *imperator esset iratus, eo quod in Abotrides duxisset*, Mon. G. SS. I. p. 565 [47]. Nomen ducatus Frisiae reperitur ad annum 839, quo tempore, teste Prudentio Trecensi, pars quaedam regni Franconici divisi complectebatur *regnum Saxoniae cum marchis suis, ducatum Fresiae usque Mosam*, etc. Mon. G. SS. I. p. 435; eodem modo legimus in documento Ludowici imperatoris anno 839 conscripto: *concessimus fideli nostro Gerulfo quasdam res proprietatis nostrae, quae sitae sunt in ducatu Frisiae in pago Westracha in villa Cammingehunderi et in aliis villis circumquaque se positis*, Erhard Regesta Westfal. I. p. 11 (ex orig.), quocum conferas Registrum Sarachonis § 743 ed. Falke Codex Tradit. Corbei. add. p. 43: *in Camminge in pago Westracha in Frisiae ducatu* et § 744: *in Hunderi in eodem pago Westracha;* vide

47 Ex chron. Reginonis verba descripserunt Annales Mettenses; incognitum habemus auctorem, quem Regino ad annum 809 secutus sit, de duce Frisiae verba faciens; Annal. Laurisham. ad annum 809, Mon. G. SS. I. p. 196 ducem Frisiae haud commemorant; neque tamen censeam, Reginonem abbatem Prumiensem, rerum patriarum pergnarum, qui circa annum 900 scripsit, ducem Frisiae finxisse.

W. Eekhoff, Leeuwarden 1846. I. p. 286 et Fockema in de Vrije Fries, 1853. VI. p. 118. Haud confirmaverim tempore Karoli Magni omnem Frisiam unum ducem habuisse; coniicere potius velim, praefectis limitis, singulis regionibus Frisiae maritimis praepositis, nomen ducis fuisse. De vocibus *praefectus*, *dux limitis*, *marchio* conferendus est Waitz D. Verfassungsg. III. p. 315; quod pertinet ad Frisiam antiquissimam, afferam locum ex Vita S. Bonifacii cap. 40 de anno 755 loquentem: *unus qui officium praefecturae secundum indictum gloriosi Pippini regis super pagum locumque illum* (i. e. Dockinga in pago Asterga) *gerebat*, *nomine Abba*, Mon. G. SS. II. p. 353.

Facilis est distinctio iuris prima et altera legis Frisionum parte edicti ab eo quod constitutum est in Additione legis Frisionum, cuius capitula supra p. enumerata tertiam legis partem (= III) nominavi. Multae constitutiones et legis antiquissimae (= I) et secundae partis legis (= II) sunt emendatae, quas quidem in editione legis ad singula capitula legis notavi. Inter omnes maxime veniunt in conspectum mulctae vel compositiones plurimae triplicatae, quae antea in Frisia iuris erant, de quarum gravissima, quam dicunt *weregeldum*, paulo accuratius hoc loco disputem, ut exemplo ostendam tres legis partes in eodem diversas et sibi contrarias.

Numeros weregeldorum, quorum lex Frisionum mentionem facit, nullus intelligat, nisi qui monetam cognoverit, qua lex Frisionum utitur. De eadem viri docti opiniones diversas proposuerunt, neque tamen, ut iudicem, lucem ei attulerunt [48]; alio in loco monetam legis

---

48 Conf. Siccama Lex Fris. p. 117; Davoud Oghlou Histoire II. p. 209; K. Maurer Das Wesen des Adels, München 1846. p. 106; Gaupp Lex Chamavorum p. 36; Waitz Münzverhältnisse, Göttingen 1861. p. 4.

Frisionum fusius exponam, hoc vero summam de eadem adnotem.

Omnes legis Frisionum partes denariis vel tremissibus utuntur, quorum tres pro solido Francorum argenteo valent, ita ut denarius Frisicus quatuor denariis Francorum exaequetur. In Frisia media tempore legis Frisionum denarii dicti in usu communi versati sunt, in Frisia occidentali autem loco eorum denarii valebant, quorum $2\frac{1}{2}$, et in Frisia orientali, quorum 2 solidum Francorum aequabant; attamen in lege Frisionum mulctae vel compositiones, ad has regiones Frisiae pertinentes, in denariis huius generis non sunt expressae. Denarii dicti plurimis in locis legis Frisionum dicuntur *denarii* vel *tremisses*, nulla voce addita, qua distinguerentur a denariis Francorum; in titulo XV legis Frisionum, quem parti Frisionum secundae, anno 785 conceptae, adsignem, denarii iidem nominati sunt *denarii veteres*, i. e. ex longo tempore in Frisia usitati, qui non sunt denarii Franconici; in capitulis nonnullis denique, quae tertiae parti legis Frisicae attribuam, denarii dicuntur *denarii Fresionici*, Add. III, 44, et *denarii novae monetae*, lex Fris. I, 10 add. leg. Fris. Add. III, 78, vel *denarii ad novam monetam*, Add. III, 73, vel *denarii novi*, Add. III, 73; quibus verbis exprimuntur denarii Frisici denuo signati, qui autem eiusdem valoris erant denariis veteribus tituli XV, vel *denariis* aliorum titulorum legis.

In lege Frisionum antiquissima (= I) weregeldum hominis liberi in $53\frac{1}{3}$ solidos (= 160 denarios Frisicos) constitutum est. Ex quo quidem numero weregelda hominis nobilis vel liti ita formata sunt, ut homo nobilis unum et dimidium liberum aequaret, atque eidem weregeldum $1\frac{1}{2} \times 53\frac{1}{3}$ solidorum $=$ 80 solidorum (= 240 denariorum Frisicorum) solveretur; litus autem dimidium liberum aequaret, eique weregeldum dimidium liberi solveretur, i. e. $\frac{1}{2} \times 53\frac{1}{3}$ solidi $= 26\frac{2}{3}$ solidi (= 80

denarii Frisici). Vide titulum I. legis Frisionum.

In titulo XV legis Frisionum, quem secundae parti legis Frisicae (= II) attribui, weregeldum hominis liberi nobis occurrit 110 solidorum $= 2 \times 53\frac{1}{3} + 3\frac{1}{3}$ solidorum ($= 320 + 10$ denariorum Frisicorum), quod est duplex weregeldum legis antiquissimae auctum $3\frac{1}{3}$ solidis, vel decem denariis Frisicis. Ex weregeldo hominis liberi in titulo XV legis Fris., ad Frisiam orientalem pertinentem, weregelda hominis nobilis duplicando, et hominis liti dimidiando, sunt formata, ita ut homini nobili solverentur 2×110 solidi $= 220$ solidi ($= 660$ denarii Frisici), homini lito autem $\frac{1}{2} \times 110$ solidi $= 55$ solidi ($= 165$ denarii Frisici). Vide titulum XV, et quae ibidem sunt adnotata.

In Additione legis Frisicae (= III) weregeldum legis antiquissimae est triplicatum, ita ut homini libero solveretur weregeldum $3 \times 53\frac{1}{3}$ solidorum $= 160$ solidorum ($= 480$ denariorum Frisicorum); ex quo quidem hominum nobilium et litorum weregelda eadem ratione sunt formata, qua in parte legis antiquissima et secunda.

Triplicatio dicta weregeldi in Additione legis Frisicae directis verbis non est enuntiata, neque tamen ullo modo in dubium referri potest, eandem tunc iuris Frisici fuisse, quod quidem demonstrant mulctae plurimae tituli III Additionis inscripti: *Hoc totum in triplo componitur*, verbi gratia: Add. III, 1. *pes ex toto abscissus componatur ut manus, id est tribus et* 50 *solidis et tremisse;* Add. III, 8: *si quis alium ita in caput percusserit, ut surdus et mutus efficiatur, ter'* 50 *tribus solidis et tremisse componat;* Add. III, 60: *qui testiculos alii excusserit, ter quinquaginta tres solidos et tremissem.* — Weregeldum legis Frisionum antiquissimum in Additione legis Frisionum dicitur simplex, vide capitulum 58 tituli III Additionis: *ibi* (in Frisia occidentali) *nobilis homo* $106\frac{2}{3}$ *solidis simpla compositione solvetur*, et inscriptionem tituli I legis Fris.

additam: *et haec est simpla compositio de homicidiis.* Auctores Additionis compositionem antiquissimam nullo modo simplam dicere potuissent, nisi tunc multiplicata iuris Frisici fuisset, ac nonnulla capitula tituli III Additionis, qui inscriptus est: *Hoc totum in triplo componatur*, verbis *in simplo componere* eo animo utuntur, ut dicant mulctam antiquam haud triplicatam more vetere esse solvendam; conferas Add. III. c. 68: *si animal homini vulnus intulerit, dominus eius iuxta qualitatem vulneris in simplo componere iudicetur;* Add. III. 69: *si homo...extra voluntatem* (telo alium vulneraverit), *in simplo iuxta qualitatem vulneris componatur;* Add. III. 70: *si puer, qui nondum 12 annos habet, cuilibet vulnus intulerit, in simplo componat.*

Tres habemus gradus weregeldi Frisici in tribus partibus legis Frisionum:

simplex weregeldum in lege antiquissima;
duplex weregeldum in secunda legis parte;
triplex weregeldum in Additione legis.

Quaeramus, quo tempore sint constitutae tres partes legis Frisionum, quae ratione dicta inter se differunt:

I. Lex Frisionum antiquissima[49] ad solam Frisiam mediam pertinet, hanc ob rem eam conceptam esse arbritror, postquam Frisia media, neque vero Frisia orientalis, regno Francorum erat subiecta, id est inter annos 734 et 785. Similius autem veri videtur, legem antiquissimam ipso anno 734, quo Frisia media Francis subiecta est, vel annis proxime sequentibus con-

49 Legem antiquissimam eam partem legis Frisionum dico, quam neque secundae, neque tertiae legis parti vindicem; i. e. titulum I (exclusis verbis quae supra p. XXX adnotavi, et capitulis 1. 3. 4. 5. 8. 10. 12 et 21 sunt apposita), tit. II (excepta additione ad cap. 10), tit. III (exc. c. 8 et 9), tit. IV (exc. c. 2—8), tit. V, VI, VII (exc. c. 2), VIII (exc. add.), IX (exc. c. 14—17), X, XI, XIV (exc. c. 3—7), XIX, XXI (exc. verbis tituli extremis), XXII.

ditam esse, regnante Karolo Martello victore Frisionum, vel eiusdem filio Pippino rege; neque cognitum habeo argumentum, quo demonstretur legem antiquissimam huius non esse temporis, imo iudicem omnia omnino quae in ea leguntur, ab illa aetate non esse aliena.

II. Secunda pars legis[50] in usum Frisiae occidentalis, mediae et orientalis lata est; hanc ob rem certum est, eam post annum 785 esse publicatam, quo Frisia orientalis Francorum regno subiecta est. Quum vero in hac legis parte weregeldum inveniatur in usum Frisiae orientalis constitutum, censeam Karolum Magnum ipso anno 785, subiecta Frisia orientali, eandem promulgasse, quo terrae occupatae weregeldum novum statuit quod summam duplicem explebat weregeldi in Frisia media eo usque usitati. Plurima capitula partis secundae legis Frisicae ad Frisiam orientalem pertinent, nonnulla addita sunt, quibus ius Frisiae mediae et occidentalis ex animo illius aetatis emendaretur, verbi gratia constitutio de mulctis nonnullorum criminum novies solvendis, et de banno regio 60 solidorum solvendo, vide supra p. XXXIV et XXXV.

III. Additio legis Frisionum ex meo iudicio condita est anno 802, atque idem censeo de nonnullis verbis titulis primo et secundo legis Frisionum insertis, quae, ut supra p. XXXI illustravi, ad Additionem legis sint computanda.

Constitutiones, quas lex Frisionum antiquissima et capitula ei, ut putem, anno 785 adiecta, de iure Frisico condiderant, Additione legis Frisionum multis in locis sunt emendatae, et quidem ea ratione, ut sit ius Frisicum antiquum Additione Sapientum systematice quasi re-

50 Locos legis quos secundae eiusdem parti adscribam, vide p. XXXII.

formatum; non enim singulae iuris antiqui positiones sunt mutatae, sed regulae quaedam generales novae in omne ius antiquum Frisiae inductae, ut exemplum afferam triplicatio mulctarum et compositionum, de qua p. XXXII verba feci. Auctor Additionis opus suum ea condidit mente, ut ius partium Frisiae exaequaret ei aliorum populorum regni Franconici; id maxime probat weregeldum Frisicum Additione Sapientum in 160 solidos auctum, quod erat weregeldum complurium populorum regni Franconici, ut testatum est titulo XXXVI legis Ripuariorum: *si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit*, 200 *solidos culpabilis iudicetur; si....; si quis Ripuarius advenam Alamannum, seu Frisonem, seu Baiuarium, seu Saxonem interfecerit*, 160 *solidis culpabilis iudicetur. Quod si cum argento solvere contigerit, pro solido duodecim denarios, sicut antiquitus est constitutum* [51].

Ratione habita huius momenti, quod agnoscimus in Additione legis Frisionum condita, multi viri docti, inter quos primum nomino Mathiam de Wicht, Ostfriesisches Landrecht, Aurich 1746. Vorbericht p. 67, arbitrati sunt, Karolum Magnum eandem anno 802 instituisse; iisque assentiam.

Karolus Magnus munere imperatoris suscepto, suum esse iudicavit, quaedam instituta in regno suo condere, inprimis autem efficere, ut quilibet ius suum obtineat; quo consilio leges omnium populorum sibi subiectorum emendari iussit [52]. Annales Laureshamenses et Einhardus, in Vita Karoli Magni, tradunt, hoc factum esse; illi

---

51 Titulum XXXVI legi antiquae Ripuariorum adiectum puto post annum 802, conf. Rogge De peculiari legis Rip. cum Sal. nexu p. 27, Gaupp German. Abhandl. p. 2, Stobbe Gesch. der Deutschen Rechtsq. I. p. 63, Waitz. Münzverhältnisse p. 15.

52 Vide Eichhorn D. Rechtsg. § 143 Anmerkung, et Waitz D. Verf. G. III. p. 189. De conciliis a Karolo imperatore annis 801—802 convocatis vide Waitz l. l. p. 284.

narrant: *Anno 802 demoravit dominus caesar Carolus apud Aquis palatium cum Francis sine hoste;...et mense Octimbrio congregavit universalem synodum in iam nominato loco, et ibi fecit episcopos cum presbyteris relegere universos canones* etc. *Sed et ipse imperator, interim quod ipsum synodum factum est, congregavit duces comites et reliquum christianum populum cum legislatoribus, et fecit omnes leges in regno suo legere, et tradere unicuique homini legem suam, et emendare ubicumque necesse fuit, et emendatam legem scribere*, Mon. G. SS. I. p. 39.[53] Et Einhardus cap. 29: *Post susceptum imperiale nomen, cum animadverteret multa legibus populi sui deesse, nam Franci duas habent leges in plurimis locis valde diversas, cogitavit quae deerant addere et discrepantia unire, prava quoque et perperam prolata corrigere. Sed de his nihil aliud ab eo factum est, nisi quod pauca capitula, et ea imperfecta, legibus addidit. Omnium tamen nationum, quae sub eius dominatu erant, iura quae scripta non erant, describere ac literis mandari fecit*, Mon. Germ. SS. II. p. 458.

Non dubitandum est, quin Frisiones sint inter eos populos regni sui, quorum leges Karolus Magnus fecit emendari. Verba Einhardi: *iura omnium nationum* (regni), *quae scripta non erant, describere ac literis mandari fecit Karolus imperator*, ad Frisiones non sunt referenda; Frisiones enim tunc utebantur legibus scriptis; vidimus supra, legem Frisionum antiquissimam ante Karolum Magnum constitutam atque ab ipso imperatore capitulis illis auctam fuisse, quibus nomen secundae partis legis Frisicae attribuimus. Contra spectent ad Frisiones verba annalium Laurishamensium: *fecit imperator omnes leges in regno suo legi..., et emendare ubicumque necesse fuit, et emendatam legem scribere*, aeque ac verba Einhardi *pauca capitula*

---

53 Ex Annalibus Laurishamensibus sumpta sunt, quae de iisdem rebus leguntur in Chron. Moissiac. Mon. G. SS. I. p. 306.

legibus (eorum) *addidit.* In parte legis Frisionum inscripta *Additio Sapientum*, nonnullisque capitulis quae ad eandem sunt computanda, habemus *capitula illa pauca* legi Frisionum addita, quibus lex est emendata *ubicumque necesse fuit.*

De viris qui *Additionem* legi Frisionum adiecerunt, eorumque modo addendi legimus in lege Frisionum haec verba:

Lex Fris. tit. II ad cap. 10: *Haec Wulemarus addidit.*

Ad finem tituli XXII leg. Fris.: *Additio sapientum:*

Wulemarus: Add. tit. I—III, 1—58.

Haec iudicia Saxmundus dictavit: Add. III, 59—75.

Wulemarus dicit: Add. III, 76—78. IV—VI.

Saxmundus, Add. VII.

Wulemarus: Add. VIII—XI.

Habemus his in verbis: Wulemarum et Saxmundum, qui in inscriptione Additionis legis Frisicae laudata sapientes nominantur; iique ex lege Frisionum addunt quaedam legi, dicunt quaedam, et iudicia dictant; ac iudicia ab ipsis dictata, vel omnia ab ipsis legi addita, voce *Additio* inscripta sunt.

Quum autem interpreter verba laudata, coniiciam, Wulemarum et Saxmundum anno 802 Aquisgrani versatos fuisse in lege Frisionum emendanda, et quidem in numero eorum, quos legislatores vocant Annales Laureshamenses in verbis: *congregavit imperator duces, comites et reliquum christianum populum cum legislatoribus, et fecit leges emendare* etc.

Tempore Karoli Magni imperator leges vel capitularia constituit consilio optimatium regni sui [54], anno 802,

54 Vide Waitz D. Verfass. G. III. p. 499.

quum ex mea sententia conderetur Additio Frisionum, in congregatione ducum ac comitum Aquisgrani habita primum, ut censere liceat, quidam viri dixerunt vel iudicaverunt, qua ratione ius Frisicum esset constituendum, vel quomodo lex Frisionum esset emendanda et quae capitula eidem essent addenda; tunc duces, comites vel viri alii, quos imperator Aquisgrani congregaverat, dicta illorum pertractaverunt [55]; et tandem imperator consilia, quae congregati ceperant, sancivit ac promulgavit [56]. Viri illi qui Aquisgrani de lege emendanda iudicaverunt, in Annalibus Laurishamensibus vocantur legislatores, i. e. qui legem (aut quoddam legis capitulum) tulerant vel rogaverant; in lege autem Frisionum sapientes, i. e. scientes, vel gnari rei illius de qua lex sit ferenda. Ipsa capitularia Karoli Magni commemorant sapientes, vel rerum gnaros, versatos fuisse in legibus condendis in usum populi; legimus in capitulari anni 789 cap. 62: *iudici diligenter discenda est lex a sapientibus populo* [57] *composita*, Mon. G. SS. I. p. 63. Wulemarum et Saxmundum, qui legem Frisionum emendaverunt, eique capitula addiderunt, iuris Frisici peritos fuisse, non est quod dubitemus; quum leges Frisionum essent emendandae vel supplendae, nonnisi iuris Frisici periti dici potuis-

---

55 Cfr. Capitular. ad leg. Salic. anni inc. sub Ludowico imperat. de hoc capitulo *iudicatum est ab omnibus*, cap. 2. 5. 6; *iudicaverunt omnes*, cap. 8, Mon. Germ. LL. I. p. 225. 226.

56 Additionem legis Frisicae non esse legem in angustiore vocis notione, sed tantum declarationem quandam Wulemari et Saxmundi de iure Frisico, quam Germani dicunt *Weisthum*, iis plane refellitur, quae in Additione legimus; plurimis enim capitulis Additionis, constitutiones legis Frisicae mutantur, inprimis autem mulctae illius augentur et quidem triplicantur. Omnem legem Frisicam, vel solam Additionem, eiusmodi esse declarationem iuris Frisici censent von Daniels Deutsche Reichsg. I. p. 262, Stobbe D. Rechtsquellen I. p. 183 et Waitz D. Verfass. G. III. p. 145.

57 Non est quod emendemus cum Waitz Deutsche Verfass. G. III. p. 507 vocem *populo* in *populi*.

sent „sapientes", quo cognomine in Additione legis Frisicae Wulemarus et Saxmundus sunt appellati. Veri simillimum autem censeam, eos fuisse iudices Frisionum, quo nomine, in lege Frisionum IV, 3 et XIV, 4 usitato, ni fallor, ii sunt dicti, qui sermone Frisionum *asega* (i. e. legem dicentes) vocabantur [58].

Loco nominis *Wulemarus* editores recentiores legis Frisicae posuerunt *Wlemarus;* in editione Heroldiana, quae sola inter omnes utebatur codice manuscripto, legitur *VVLEMARVS*, quod est *Wulemarus*. Nomen proprium Germanicum *Wilmar*, teste Förstemann Altdeutsches Namenbuch, 1856. I. p. 1312. 1353 et 1357, in documentis medii aevi scribitur: *Willimar*, *Willemar*, *Wilmar*, *Wilmer* et *Vullemar* Goldast Script. Alam. II. a. 111, *Vulmar* ibid. 119. Eadem ratione nomen proprium Germanicum *Willa-perht* vel *Willi-brat* scribitur etiam *Wullibrat* (in Vita S. Liudgeri), *Vulli-perto* (Goldast II. a. 111), *Vullerd* (Thietmar), vide Förstemann l. l. p. 1305. Apud Frisiones Wlemarum, ab nomine Wulemarus vel Willemarus diversum fuisse, nullis aliis locis confirmatur; neque interpretari liceat nomen Wle-mar ex sermone Germanico. Litteris *WL* in principio nominis probari, virum sapientem legis Frisicae natione Frisionem fuisse, ut dilectissimus Iacobus Grimm Geschichte der Deutschen Sprache II. p. 604 et 607 adnotavit, et Stobbe Deutsche Rechtsquellen I. p. 176 not. 11 repetiit, dictis refutetur.

IV. I u d i c i a W u l e m a r i. Verbum denique addo de capitulis nonnullis, q u a e i n v e n i u n t u r in t e x t u H e r o l d i a n o „l e g i s A n g l i o r u m e t We-

58 Haud assentiam viro doct. Waitz D. Verf.G. III. p. 488, legislatores anni 802 fuisse „rechtskundige Räthe"; neque viro docto Stobbe D. Rechtsq. I. p. 182, „sapientes" legis Frisionum fuisse „Friesische Schöffen", quum scabini nunquam nobis occurrant in iudiciis pagorum Frisicorum.

„rinorum, hoc est Thuringorum", et inscripta sunt: *Haec iuditia VVLEMARVS dictavit.* Equidem iudico capitula dicta non esse partem legis Thuringorum, sed partem legis Frisionum, atque ea hanc ob causam extremis verbis legis Frisionum subieci.

Duos habemus textus legis Thuringorum, alterum in codice manuscripto olim Corbeiensi nunc vero Paderbornensi, alterum in collectione legum Heroldiana; editionem enim Heroldianam, ut ego sentio, secutus est in lege Thuringorum edenda Lindenbrog (Codex legum antiquarum, Francofurti 1603), quod integrum reliquit Iohannes Merkel in Lege Angliorum et Werinorum, hoc est Thuringorum, Berolini 1851. p. 4. In codice manuscripto Corbeiensi saeculi decimi, de quo verba fecit I. Merkel in Lege Saxonum, Berolini 1853. p. 3 et 21, desunt iudicia Wulemari; leguntur in editione Heroldiana, et quidem in fine primae partis legis Thuringorum, quae facit in codice manuscripto Corbeiensi secundam legis partem. Incognitum habemus codicem manuscriptum, quo usus est Herold in lege Thuringorum edenda, censeam eundem fuisse, quo usus est in lege Frisionum, ex quo solo textus legis Frisionum nobis est reservatus. Hoc in codice manuscripto iudicia Wulemari, ut videtur, non in legem Frisionum erant adscripta, sed in legem Thuringorum; eadem autem ad legem Frisionum pertinere, demonstrant quae iis continentur.

Mirum certe videtur cuilibet legenti, ut Wulemarus quidam et legi Frisionum et legi Thuringorum capitula nonnulla addiderit [59]; id tamen parvi pendam; maximi autem est momenti, quod ius in iudiciis Wulemari, quae in textu Heroldiano legis Thuringorum leguntur, non est

59 Cfr. Gaupp Lex Thur. p. 239; B. Andreae De iure municip. Fris. p. 84; H. Müller Lex Sal. p. 111; P. C. Molhuysen in Nijhoff Bijdr. III. p. 61.

ius legis Thuringorum, sed legis Frisionum. Hoc primus inter omnes vidit vir amicissimus Wilda Strafrecht der Germanen. 1842. p. 105. 358. 746, neque est qui ei contradixerit [60]. Circumspiciamus rem in utramque partem:

1) Ius quod inest in iudiciis Wulemari congruit cum iure legis Frisionum:

Capitula 1 en 2 Iud. Wulemari addita sunt ad tit. XXII, 54 et 55 legis Fris.

Capitulum 3 Iud. Wulemari additum est ad tit. XXII, 53 et 56 legis Fris.

Capitula 4—6 Iud. Wulem. addita sunt ad tit. XXII, 84 et 86 legis Fris.

Capitulum 7 Iud. Wulem. non legitur in lege Frisionum antiquissima, idem vero iisdem fere verbis legi Frisionum ex iure Frisiae mediae adiecit Wulemarus in Additione leg. Fris. III, 18. Ita autem differt Additio legis Frisionum a Iudiciis Wulemari, ut in illa mulcta sit „ter sumpta", in his autem simplex.

Capitulum 8 Iud. Wulemari conferendum est cum leg. Fris. Add. III, 35.

Capitula 9 et 10 Iudiciorum Wulemari desunt in lege Frisionum et in lege Thuringorum.

2) Ius quod inest in iudiciis Wulemari et ius legis Thuringorum inter se conciliari non possunt:

Ius capitulorum 4—6 Iudiciorum Wulemari differt ab eo legis Thuringorum V, 2 (vel ed. Merkel I. c. 11).

Ius capituli 7 Iudiciorum Wulemari differt ab eo legis Thuringorum V, 10 (vel ed. Merkel I c. 23). Conf. Gaupp Lex Thur. p. 335.

Quaeramus quomodo interpretanda sit consensio illa

60 Confer. Merkel Lex Thur. p. 5; Stobbe Deut. Rechtsq. I. p. 176.

demonstrata Iudiciorum Wulemari cum lege Frisionum et dissensio inter Iudicia Wulemari et legem Thuringorum. Non assentio viro doctissimo Wilda qui censebat, omnem „ legem Angliorum et Werinorum, hoc est Thuringorum" non esse unam, sed ex diversis partibus compositam [61]; capitula enim legis Thuringorum, exceptis iudiciis Wulemari, ubique inter se congruunt. Multo minus facere possum cum Hermann Müller Der Lex Salica und der Lex Angliorum et Werinorum Alter und Heimat, Würzburg 1840. p. 111 [62], qui putavit Thuringos, quorum est lex Thuringorum, habitasse in ore fluminis Mosae, atque exposuit, legem Thuringorum cum lege Frisionum propter vicinitatem utriusque populi consentire. Equidem non dubito, quin opinio haec sit falsa; iam supra in praefatione p. XIV dixi, Thuringos in ore Mosae fluminis non habitasse, atque id alio in loco copiosius exponam; tempore quo leges Frisionum et Thuringorum scriptae sunt, regiones ad ostium fluminis Mosae sitae fuerunt Frisicae, atque illis annis quibus Wulemarus iudicia legi Frisicae addidit, partem fecerunt Frisicae occidentalis, inter fluvios Sinkfal et Fli sitae. Errant autem qui putant, iudicia Wulemari, in textum Heroldianum legis Thuringorum recepta, ad Frisiam occidentalem referenda esse; supra demonstravi, eadem addita esse ad locos legis Frisionum, iique omnes pertinent ad Frisiam mediam inter Fli et Laubachi sitam.

Quae quum ita sint. reprobo opiniones dictas de Iudiciis Wulemari, atque censeo, ea ad Frisiones pertinere et partem legis Frisionum fecisse.

Scripsi Damsdorf in Silesia d. XXI mensis Aprilis a. 1862.

---

61 Wilda Strafrecht p. 105, cfr. Stobbe D. Rechtsq. I. p. 177.

62 Cfr. etiam Molhuysen Aanmerkingen over de Lex Angliorum in Nijhoff Bijdragen III. p. 62.

LEX FRISIONUM[1].

TIT. I.

INCIPIT LEX FRISIONUM, ET HAEC EST SIMPLA COMPOSITIO DE HOMICIDIIS [2].

I [3].

Si nobilis [4] nobilem occiderit LXXX solidos componat; de qua mulcta duae partes ad heredem occisi [5], tertia ad propinquos eius proximos pertineat [6]; (II.) et si negaverit, se illum occidisse, adhibitis secum XI eiusdem conditionis hominibus iuret.

III.

Si nobilis liberum occiderit, solidos LIII et unum denarium solvat; et si negaverit, cum VII sacramentalibus iuret; *inter* [7] *Laubachi et Wisaram cum* V, *et cis Fli* [8] *similiter.*

IV.

Si nobilis litum occiderit, XXVII solidos uno denario minus componat domino suo, et propinquis occisi solidos IX excepta [9] tertia parte unius denarii; et si negaverit, cum tribus iuratoribus se excuset; *inter Laubachi et Wisaram, et cis Fli, cum duobus.*

V.

Si liber nobilem occiderit, LXXX solidos componat, aut si negaverit, cum XVII iuret; *inter Wisaram* [10] *et Laubachi, et cis Fli, cum* XXIII *iuret.*

VI.

Si liberum occiderit, solidos LIII et unum denarium solvat, et si negaverit, cum undecim sacramentalibus iuret.

VII.

Si litum occiderit, solidos XXVII uno denario minus componat domino suo, et propinquis occisi solidos IX excepta [9] tertia parte unius denarii, et si negaverit, cum quinque sacramentalibus iuret.

VIII.

Si litus nobilem occiderit, similiter LXXX solidos componat, aut si negaverit, cum triginta quinque iuratoribus suae conditionis se excuset; *inter Laubachi et Wisaram, et cis Fli, cum* XLVIII [11] *iuret.*

IX.

Si liberum occiderit, solidos LIII et unum denarium solvat, et si negaverit, cum XXIII sacramentalibus iuret.

X.

Si litum occiderit, solidos XXVII uno denario minus componat domino suo, et propinquis occisi solidos IX excepta [9] tertia parte unius denarii, et si negaverit, sibi duodecimus iuret.

Inter Fli et Sincfalam weregildus nobilis C *solidi* [12], *liberi* L, *liti* XXV *(solid. denarii* III *novae monetae)* [13].

Inter Laubachi et Wisaram weregildus nobilis CVI *solidi et duo denarii, liberi* LIII *solidi et denarium, liti* XXVI *solidi et dimidius, et dimidius tremissis.*

XI.

Si quis homo, sive nobilis, sive liber, sive litus, sive etiam servus, alterius servum occiderit, componat eum iuxta quod fuerit adpretiatus, et dominus eius ipsius pretii eum fuisse sacramento suo iuraverit [14]. (XII.) Quod si quaelibet ex praedictis personis hoc homicidium se perpetrasse negaverit, iuxta quod summa precii occisi mancipii fuerit aestimata, maiori vel minori sacramento se

excusare debebit [15]: *inter Laubachi et Wisaram suam habet compositionem* [16].

XIII.

Si servus nobilem, seu liberum, aut litum, nesciente domino occiderit, dominus eius, cuiuscunque conditionis fuerit homo qui occisus est, iuret hoc se non iussisse, et mulctam eius pro servo, bis simplum, componat [17].

XIV.

Aut si servus hoc se iussu domini sui fecisse dixerit, et dominus non negaverit, solvat eum sicut manu sua occidisset, sive nobilis, sive liber, sive litus sit.

XV.

Et si servus hoc se perpetrasse negaverit, dominus eius iuret pro illo.

XVI.

Si nobilis erat qui occisus est, et nobilis ille cuius servus est, cum tribus sacramentalibus iuret.

XVII.

Si liber erat qui occisus est, duas partes praedicti sacramenti cum duobus, nobili [18] et uno libero iuret.

XVIII.

Si litus erat, ipse medietatem sacramenti cum uno lito iuret.

XIX.

Si dominus servi liber est, et nobilis qui occisus est, sua sexta manu pro servo sacramentum perficiat.

XX.

Si suae conditionis, id est liber erat, cum tribus aeque liberis iuret.

XXI.

Si litus erat, cum uno libero sacramentali iuret.

XXII [19].

Inter Laubacum et Wisuram dominus servi non iuret, sed componat eum ac si ipse eum occidisset.

TIT. II [20].

FORRESNI [21].

I.

Si nobilis nobilem per ingenium alio homini ad occidendum [22] exposuerit [23], et is qui eum occidit patria relicta profugerit, qui eum exposuit tertiam partem leudis [24] componat.

II.

Si vero homicida non fugerit, nihil solvat, sed tantum inimicitias [25] propinquorum hominis occisi patiatur, donec quomodo potuerit eorum amicitiam adipiscatur.

III.

Si autem hoc fecisse dicitur, et negaverit, cum tribus [26] sacramentalibus iuret, si ille qui hominem occidit profugium fecit; sin vero homicida infra patriam est, expositor nihil iuret, sed tantum inimicitias propinquorum occisi hominis patiatur, donec cum eis quoquo modo potuerit in gratiam revertatur.

IV.

Si nobilis liberum hominem exposuisse dicitur, tertiam partem leudis eius componat, si extra patriam fugit qui hominem occidit, si vero infra patriam est, nihil solvat; quod si negaverit, similiter sicut de nobili sacramentum iuret, tertia sacramenti portione adempta propter viliorem personam liberi hominis [27].

V.

Si de lito idem scelus ei imputetur, et homicida defuerit, ut superius de libero sacramentum perficiat, adempta ipsius sacramenti dimidia portione; solvens tertiam portionem leudis eius, si negare non potuerit; et si is qui eum occidit infra patriam fuerit, sicut superius diximus, expositor nec iuret, nec leudem solvat, sed inimicitias propinquorum occisi patiatur, donec se cum eis reconciliet.

VI.

Si liber in nobilem hominem tale scelus dicitur perpetrasse, similiter ut nobilis sacramento se excuset, addita super sacramentum quod nobilis iurare debet, ipsius sacramenti tertia portione; aut si negare non potuerit, et homicida defuerit, solvat tertiam partem leudis eius; si vero homicida infra patriam fuerit, nec iuret, nec aliquid solvat, sed tantum inimicitias propinquorum occisi patiatur, donec cum eis in gratiam revertatur.

VII [28].

Si vero de libero idem scelus ei imputetur, sibi quarto sacramentum iuret, vel si homicida profugerit, tertiam portionem leudis eius componat, si negare non potuerit; si vero homicida infra patriam est, nec iuret, nec aliquid solvat, sed tantum ut superius faidosus [29] permaneat, donec in gratiam cum propinquis occisi revertatur.

VIII.

Si de lito idem agitur, adempta [30] sacramenti dimidia portione, iurare debebit; aut si negare non potuerit, et homicida profugium fecit, ut superius diximus tertiam portionem leudis eius componat; si vero homicida profugium non fecit, expositor nec iuret, nec aliquid solvat, sed tantum ut superius inimicitias propinquorum occisi patiatur.

IX.

Si litus de nobili homine eodem scelere fuerit incriminatus, iuret medietate maiori sacramento, quam liber [31] de nobili iurare debeat; aut si negare non potuerit, et homicida defuerit, omnia ut superius de aliis personis scripta sunt impleat; quod si de libero idem scelus [32] ei imputetur, medietate maiori sacramento iuret, quam liber de libero iurare debeat, aut si negare non potuerit, et homicida profugerit, tertiam portionem leudis componat, et omnia ut superius dicta sunt implere compellatur.

X.

Si de lito fuerit incrimitatus, sua quarta manu sacramentum perficiat, aut si negaverit, et homicida profugerit, ea quae superius scripta sunt per ordinem [33] impleat.

HAEC WULEMARUS [34] ADDIDIT [35] :

XI.

Si quis servum, aut ancillam, caballum, bovem, ovem, vel cuiuscunque generis animal, vel quodcunque homo ad usum necessarium in potestate habuerit, arma, vestem, utensilia quaelibet, et pecuniam, alii ad auferendum exposuerit [36], si ille qui abstulit patria profugerit, expositor tertiam portionem compositionis [37] exsolvat, aut si negare voluerit, maiori vel minori sacramento, prout qualitas pecuniae fuerit, se excusare debet; si qui abstulit, non profugit, expositor nec iuret, nec solvat, sed tantum inimicitias portet [38] eius cuius pecuniam abstulit.

T I T. III [39].

THIUBDA [40].

I.

Si nobilis furtum quodlibet dicitur perpetrasse, et negare voluerit, cum quinque sacramentalibus iuret; (II.) aut si negare non potuerit, quod abstulit, in duplum restituat, et ad partem regis LXXX solidos pro freda [41] componat, hoc est weregildum [42] suum.

III.

Si liber furti arguatur, et negare voluerit, sua sexta manu cum aeque liberis iuret, aut si confessus fuerit, rem quam abstulit in duplum restituat, et ad partem regis pro fredo weregildum suum.

IV.

Litus conditionem suam per omnia similiter faciat, id est sua sexta manu iuret, vel quod abstulit in duplum restituat, et weregildum suum ad partem regis pro freda componat.

V [43].

Si servus furti reus esse dicatur, dominus eius in vestimento [44] suo sacramentum pro illo perficiat; (VI.) aut si res grandis erat, in reliquiis iuret; aut servum ad [45] iudicium Dei in aqua ferventi examinet [46]. (VII.) Quodsi servus in iudicio probatus apparuerit, vel confessus fuerit, quanti res, quae ablata fuerit, aestimabitur, tantum dominus pro servo componat, et servus vapulet, nisi dominus eius quatuor solidis [47] corium eius redimere voluerit.

VIII [48].

Si quis in furto deprehensus fuerit, et ab ipso qui eum deprehendit furti arguatur, et negaverit, iuret uterque solus, et ad examinationem ferventis aquae iudicio Dei probandus accedat; si ille qui fur esse dicitur fuerit convictus, componat weregildum suum ad partem regis [49], *et manum* LX *solidis* [50] *redimat, et in simplo furti compositionem exsolvat.*]

IX.

Si vero is, qui alium furem interpellavit, falso eum calumniatus est, et in iudicio ferventis aquae fuerit convictus, LX *solidis manum suam redimat.*

TIT. IV.

DE SERVO AUT IUMENTO ALIENO OCCISO.

I [51].

Si quis servum alterius occiderit, componat eum, iuxta quod a domino eius fuerit aestimatus.

II [52].

Similiter equi, et boves, oves, caprae, porci, et quicquid mobile in animantibus ad usum hominum pertinet usque ad canem, ita solvantur, prout fuerint a possessore earum adpretiata; (III.) aut si negaverit, iuxta quod iudex [53] dictaverit, iuret.

VI [54].

Hoc inter Laubaci et Sincfalam: Canem acceptoricium [55], vel braconem [56] parvum, quem barmbraccum [57] vocant, IV solidis componat; (V.) eum autem, qui lupum occidere solet, tribus solidis; (VI.) qui lacerare lupum [58], et non occidere solet, duobus solidis. (VII.) Canem custodem pecoris [59] solido componat.

VIII.

Trans Laubaci [60] *canem acceptorem* VIII, *barmbraccum* XII, *custodem pecorum vel domus* [61] IV, *qui lupum lacerat* VIII.

IX.

Illum vero, qui nihil facere solet, sed tantum in curte aut in villa iacet, uno tremisse componat.

TIT. V [62].

DE HOMINIBUS QUI SINE COMPOSITIONE OCCIDI POSSUNT:

I.

Campionem [63]; et eum, qui in praelio fuerit occisus; et adulterum [64]; et furem [65], si in fossa, qua domum alterius effodere conatur, fuerit repertus; et eum, qui domum alterius incendere volens, facem manu tenet, ita ut ignis tectum vel parietem domus tangat [66]; qui fanum effregit [67]; et infans [68] ab utero sublatus et enecatus a

matre; (II.) et si hoc quaelibet foemina fecerit, leudem suam regi componat, et si negaverit, cum V iuret.

TIT. VI.

DE CONIUGIIS IGNORATIS [69].

I.

Si libera foemina lito nupserit, nesciens eum litum esse, et ille postea de capite suo, eo quod litus sit, fuerit calumniatus, si illa sua sexta manu iurare poterit, quod postquam eum litum esse rescivit, cum eo non concumberet, ipsa libera permaneat, et filii quos procreavit; (II.) si vero iurare non possit, in compositionem mariti sui una cum filiis suis transeat.

TIT. VII [70].

DE BRAND [71].

I.

Si quis domum alterius incenderit, ipsam domum, et quicquid in ea concrematum est, in duplo componat.

II [72].

Si autem dominum domus flammis ex ipsa domo egredi compulit, et egressum occidit, componat eum novies, cuiuscunque fuerit conditionis, sive nobilis, sive liber, sive litus sit. Haec constitutio ex edicto regis processit.

Trans Laubaci in fredam novies componit weregildum suum [73].

TIT. VIII [74].

DE NOTNUMFTI [75].

I.

Si quis rem quamlibet vi rapuerit, in duplum eam restituere compellatur, et pro freda solidos XII componat, hoc est XXXVI denarios.

Trans [76] *Laubaci in simplo componat,* (II.) *et* [77] *pro freda weregildum suum.*

TIT. IX [78].

DE FARLEGANI [79].

I.

Si foemina quaelibet homini cuilibet fornicando se miscuerit, componat ad partem regis weregildum suum; hoc nobilis et libera faciant.

II.

Lita vero ad partem domini sui.

III [80].

Si vero ancilla et virgo erat, cum qua quislibet homo moechatus est, componat is, qui eam violavit, domino eius solidos IV, hoc est denarios XII; (IV.) si autem ab alio prius fuerit constuprata, solidos III; (V.) si vero tertius hic erat, qui tunc eam violavit, duos solidos; (VI.) si vero quartus, solidum unum; (VII.) si quintus, tremissem unum; et quotcunque postea accesserint, tremissem unum tantum componant, id est culpabilis tremissem.

VIII.

Si quis puellam virginem rapuerit et violatam dimiserit, componat ei weregildum eius, sive nobilis sive libera

fuerit, ad satisfactionem, et ad partem regis similiter; (IX.) tertium weregildum patri sive tutori puellae.

X.

Si autem puella lita fuerit, satisfaciat ei similiter solutione weregildi sui, et domino eius decem solidos componat.

XI.

Si liberam foeminam extra voluntatem parentum eius, vel eorum qui potestatem eius habent, uxorem duxerit, componat tutori eius solidos XX, id est denarios LX [81].

XII.

Si autem nobilis erat foemina, solidos XXX.

XIII.

Si lita fuerit, solidos X domino eius persolvere cogatur.

Inter [82] *Laubachi et Wisaram fluvium talis est consuetudo:*

XIV.

Si nobilis seu liber libero vi aliquid abstulerit, aut ipsum aut aliud simile in locum restituat, et XXIV *solidos pro facti scelere componat* [83], *et weregildum suum ad partem regis cogatur exsolvere.*

XV.

Si autem nobilis, vel liber, nobili vi aliquid abstulerit, medietate maiori compositione [84] *facinus cogatur emendare, et weregildum suum, ut superius, ad partem regis exsolvat.*

XVI.

Inter litos vis facta, medietate minori compositione solvenda est; insuper et weregildum suum ad partem regis.

XVII.

Si servus vi aliquid sustulit, dominus eius pro illo quantitatem rei sublatae componat, ac si ipse sustulisset, et pro weregildo servi IV *solidos, hoc est denarios* XII, *ad partem regis componat* [85].

TIT. X [86].

DE TESTIBUS [87].

I.

Si quis homo super reliquiis sanctorum falsum sacramentum iuraverit, ad partem regis weregildum suum componat, et alio weregildo manum suam redimat [88]; de coniuratoribus eius unusquisque weregildum suum persolvat [89].

TIT. XI.

DE LITO [90].

I.

Si liber homo spontanea voluntate, vel forte necessitate coactus, nobili, seu libero, seu etiam lito, in personam et in servitium liti [91] se subdiderit, et postea se hoc fecisse negare voluerit, dicat ille, qui eum pro lito habere visus est: „Aut ego te cum coniuratoribus „meis sex, vel septem, vel decem, vel duodecim, vel „etiam viginti, sacramento meo mihi litum faciam, vel „tu cum tuis coniuratoribus de mea potestate te debes „excusare." Si ille tunc iurare velit, iuret, et servitute liberetur; si autem iurare noluerit, ille qui eum possidere videbatur, iuret, sicut condixit, et habeat illum sicut caeteros litos suos.

II [92].

Si litus semet ipsum propria pecunia a domino suo redemerit, et unum, vel duos, vel tres, vel quotlibet annos in libertate vixerit, et iterum a domino de capitis sui conditione fuerit calumniatus, dicente ipsi domino: „Non te

„ redemisti, nec ego te libertate donavi;" respondeat ille: „ Aut tu cum iuratoribus tuis sex, vel duodecim, vel „ viginti, vel etiam si triginta dicere voluerit, me tibi „ sacramento tuo ad servitutem adquire, aut me cum „ meis iuratoribus tantis, vel tantis, ab hac calumnia „ liberare permitte." Si ille, qui dominus eius fuerat, cum totidem hominibus, quot [93] ei propositi sunt, iurare velit, conquirat eum sibi ad servitutem; sin autem, iuret alter, et in libertate permaneat. (III.) Si [94] aut calumniator, aut ille cui calumnia irrogata est, se solum ad sacramenti mysterium perficiendum protulerit, et dixerit: „ Ego solus iurare volo, tu, si audes, nega sacra- „ mentum meum, et armis mecum contende;" faciant etiam illud, si hoc eis ita placuerit: iuret unus, et alius neget, et in campum exeant. Hoc et superiori capitulo constitutum est [95].

TIT. XII [96].

DE DELICTO SERVORUM.

I.

Si servus rem magnam quamlibet furasse dicatur, vel noxam grandem perpetrasse, dominus eius in reliquiis sanctorum pro hac re iurare debet; (II.) si vero de minoribus furtis et noxis a servo perpetratis fuerit interpellatus, in vestimento vel pecunia [97] iurare poterit.

TIT. XIII [98].

DE STUPRO ANCILLARUM.

I.

Qui cum ancilla alterius, quae nec mulgere nec molere solet, quam bortmagad vocant [99], moechatus fuerit, solidorum XII mulctam [1] domino eius cogatur exsolvere.

TIT. XIV [2].

DE HOMINE IN TURBA OCCISO.

I.

Si homo quislibet in seditione ac turba populi fuerit interfectus, nec homicida poterit inveniri propter multitudinem eorum qui aderant, licet ei qui compositionem ipsius quaerere vult, de homicidio usque ad septem [3] homines interpellare, et unicuique eorum crimen homicidii obiicere, et debet unusquisque eorum sua duodecima manu obiecti criminis se purificare sacramento. Tunc ducendi sunt ad basilicam, et sortes super altare mittendae [3*], vel si iuxta ecclesiam fieri non potuerit, super reliquias sanctorum. Quae sortes [4] tales esse debent: duo tali [5] de virga praecisi [6], quos tenos [7] vocant, quorum unus signo crucis innotatur [8], alius purus dimittitur, et lana munda obvoluti super altare seu reliquias mittuntur; et presbyter si adfuerit, vel si presbyter deest puer quilibet innocens, unum de ipsis sortibus de altari tollere debet; et interim Deus exorandus, si illi septem, qui de homicidio commisso iuraverunt, verum iurassent, evidenti signo ostendat. Si illum qui cruce signatus est sustulerit, innocentes erunt, qui iuraverunt;

sin vero alterum sustulit, tunc unusquisque illorum septem faciat suam sortem, id est tenum, de virga, et signet signo suo [9], ut eum tam ille quam caeteri quicircumstant cognoscere possint; et obvolvantur lana munda, et altari seu reliquiis imponantur, et presbyter si adfuerit, si vero non ut superius puer innocens, unumquemque eorum singillatim de altari tollat, et ei qui suam sortem esse cognoverit, rogat. Cuius sortem extreman esse contigerit, ille homicidii compositionem persolvere cogatur, caeteris quorum sortes prius levatae sunt absolutis. (II.) Si autem in prima duarum sortium missione, illam quae crucis signo notata est, sustulerit, innocentes erunt, sicut praediximus, septem qui iuraverunt, et ille, si velit, alios de eodem homicidio interpellet, et quicunque interpellatus fuerit sua duodecima manu perfectorio sacramento se debet excusare, et in hoc interpellatori sufficiat [10], nec ulterius ad sortem quemlibet compellere potest.

Haec [11] lex inter Laubachi et Flehum custoditur.

Caeterum inter Flehum et Sincfalam fluvium pro huiusmodi causa talis est consuetudo:

III.

Is qui compositionem homicidii quaerit, in reliquiis sanctorum iuret, se non alium de hac re interpellaturum, nisi eos qui ei ipsius homicidii suspecti sint; et tunc unum, vel duos, vel etiam tres, aut quatuor, vel quotlibet fuerint, qui eum qui occisus est vulneraverunt, de homicidio interpellet. Sed quamvis viginti aut etiam triginta fuerint, non tamen amplius quam septem interpellandi sunt, et unusquisque eorum qui interpellatus est sua duodecima manu iuret, et se post sacramentum iudicio Dei examinandum ferventi aqua innocentem ostendat. Qui primus iuravit, primus ad iudicium exeat, et sic per ordinem. Qui in [12] *iudicio probatus inventus fuerit, compositionem homicidii persolvat, et ad partem regis bis weregildum suum* [13]*; caeteri coniuratores sicut superius* [14] *de periuris dictum est.*

De[15] *eadem re inter Laubachi et Wisaram fluvium talis consuetudo est:*

IV.

Ille qui compositionem homicidii quaerit, unum hominem interpellet, homicidam eum proximi sui vocans, et eum leudem occisi debere[16] *persolvere. Et ille si responderit et dixerit: se velle cum coniuratoribus suis sacramento se purgare, dicat ille qui homicidam eum interpellavit, se in placito publico eum interpellare velle, et ita faciat: interpellet eum in placito coram iudicibus, et ille qui interpellatus est, si negare non poterit, alium quod sibi obiectum est homicidii reum ostendat. Quod ita facere debet:* (V.) *producat hominem quem voluerit, et iuret: „Quod ille homo homi-„cidii, de quo ego interpellatus sum, reus est," tenens eum per oram sagi sui*[17]. *Ille autem, si hoc sacramentum negare velit, iuret et contra ipsum cum armis suis in campum procedat. Et uter in ipso certamine convictus fuerit et sibi concrediderit, solvat leudem occisi;* (VI.) *si autem occisus fuerit, haeres eius proximus homicidii compositionem exsoluat.* (VII.) *In hac tamen contentione licet unicuique pro se campionem mercede conducere, si eum invenire potuerit. Si campio qui mercede conductus est occisus fuerit, qui eum conduxit* LX *solidos, id est libras* III[18] *ad partem regis componat, insuper et leudem occisi hominis exsolvat*[19].

TIT. XV[20].

ET HOC IN EADEM REGIONE TALITER OBSERVATUR DE COMPOSITIONIBUS WERGILDI[21].

I.

Compositio[22] *hominis nobilis, librae* XI *per veteres denarios*[23].

II.

Compositio liberi, librae V et dimidia per veteres denarios.

III.

Compositio liti, librae II et unciae IX, ex qua duae partes ad dominum pertinent, tertia ad propinquos eius.

IV.

Compositio servi [24], *libra I et unciae IV et dimidia.*

TIT. XVI [25].

INTER LAUBACI ET SINCFALAM DE FREDO [26].

I.

De homicidio ad partem dominicam pro freda XXX solidi componuntur, qui solidus tribus denariis constat.

TIT. XVII [27].

HIC BANNUS EST.

I [28].

Si quis in exercitu litem concitaverit, novies damnum quod effecit componere cogatur, et ad partem dominicam novies fredam persolvat.

II.

Qui [29] in curte ducis [30], in ecclesia, aut in atrio ecclesiae [31] hominem occiderit, novies weregildum eius componat, et novies fredam ad partem dominicam.

III.

Si quis legatum regis vel ducis [33] occiderit, similiter novies illum componat, et fredam similiter novies ad partem dominicam.

IV.

Qui manu collecta hostiliter villam vel domum alterius circumdederit [34], ille qui [35] caeteros collegit et adduxit weregildum ad partem regis componat, et qui eum secuti sunt, unusquisque solidos XII, et ei cui damnum, si etiam damnum illatum est, in duplo emendetur, *ultra* [36] *Laubachi vero in simplo.* [37]

V.

Qui mancipium in paganas gentes vendiderit [38], weregildum suum ad partem regis solvere cogatur.

TIT. XVIII [39].

DE DIE DOMINICO.

I.

Qui opus servile die dominico fecerit, *ultra Laubachi solidos* XII, in caeteris locis Fresiae IV solidos culpabilis iudicetur [40].

II.

Si servus hoc fecerit, vapuletur [41], aut dominus eius IV solidos pro illo componat [42].

TIT. XIX.

DE PARRICIDIIS [43].

I.

Si [44] quis patrem suum occiderit, perdat hereditatem, quae ad eum pertinere debebat.

II [45].

Si quis fratrem suum occiderit, solvat eum proximo heredi, sive filium aut filiam habuerit, aut si neuter ho-

rum fuerit, solvat patri suo vel matri suae vel fratri vel etiam sorori suae; quod si nec una de his personis fuerit, solvat eum ad partem regis.

T I T. XX [46].

DE MORDRITO [47].

I.

Qui obsidem occiderit, novies eum componat.

II.

Si quis hominem occiderit et absconderit, quod morditum vocant, novem weregildos componat [48], aut si negaverit, cum XXXV iuret [49].

III.

Si servus dominum suum interfecerit, tormentis interficiatur; similiter et litus [50].

T I T. XXI [51].

DE PLAGIO [52].

Si quis hominem, vel nobilis nobilem aut liberum, vel liber liberum, vel liber nobilem extra patriam vendiderit, componat eum ac si ab ipso fuisset interfectus [53], aut eum ab exilio revocare studeat; si vero, qui venditus fuit, reversus fuerit, et eum qui se vendiderat, de facinore convenerit, componat ei bis iuxta quod fuerat adpretiatus, et solidos XII [54] ad partem regis componat, *ultra* [55] *Laubachi vero weregildum suum.*

TIT. XXII [56].

DE DOLG [57].

I [58].

Si quis alium per iram [5] in capite percusserit, ut eum surdum efficiat, XXIV solidos componat [60]; (II.) si mutus efficiatur, sed tamen audire possit, XVIII solidos componat.

III [61].

Si quis alium ita percusserit, quod durslegi vocant, dimidium solidum componat;

IV [62].

si autem sanguinem fuderit, componat solidum I;

V [63].

si eum percusserit ut testa appareat, cum duobus solidis componat;

VI [64].

si os perforatum fuerit, duodecim solidos componat;

VII [65].

si membranam, qua cerebrum continetur, gladius tetigerit, XVIII solidos componat;

VIII.

si ipsa membrana rupta fuerit, ita ut cerebrum exire possit, XXIV solidos componat.

IX [66].

Si quis alteri aurem absciderit, XII solidos componat;

X [67].

si nasum absciderit, XXIV solidos componat.

XI [68].

Si summam rugam frontis quis ictu transversam inciderit, duobus solidis componat; (XII.) si subteriorem inciderit, IV solidis componat; (XIII.) si tertiam, quae iuxta oculos est, duobus solidis componat;

XIV [69].

si supercilium inciderit, duobus solidis componat;

XV [70].

si palpebram, aut superiorem aut subteriorem, vulneraverit, duobus solidis componat;

XVI [71].

si nasum transpunxerit, XV solidis componat;

XVII [72].

si granonem ictu percussam praeciderit, duobus solidis componat;

XVIII [73].

si maxillam inciderit, VI solidis componat;

XIX [74].

si unum dentem de anterioribus [75] excusserit, duobus solidis componat;

XX.

si unum ex angularibus dentibus excusserit, tribus solidos componat;

XXI.

si de molaribus unum excusserit, IV solidis componat.

XXII [76].

Si iugulum incisum fuerit, IV solidis componat.

XXIII [77].

Si costam transversam inciderit, XII [78] solidis componat.

XXIV [79].

Si brachium ictu supra cubitum confractum fuerit, XII solidis componat; (XXV.) si infra cubitum unum ossium confractum fuerit, VI solidis componat; (XXVI.) si utraque ossa fracta fuerint, XII solidis componat.

XXVII [80].

Si manus in ipsa iunctura qua brachio adhaeret abscissa fuerit, XLV solidis componat.

XXVIII.

Si pollicem absciderit, XIII solidis et uno tremisse componat.

XXIX.

Si indicem absciderit, VII solidis componat.

XXX.

Si medium absciderit, uno tremisse minus VII solidis componat.

XXXI.

Si annularem absciderit, VIII solidis componat.

XXXII.

Si minimum absciderit, VI solidis componat.

XXXIII.

Si totos V digitos absciderit, XLI solidis componat.

XXXIV.

Palma manus abscissa, IV solidis componatur.

XXXV [81].

Si quislibet digitus ex quatuor longioribus in superioris articuli iunctura ita percussus fuerit, ut humor ex vulnere decurrat, quod liduwagi [82] dicunt, uno solido componatur;

XXXVI.

si in subteriori articulo hoc contigerit, duobus solidis componatur;

XXXVII.

si in tertio articulo fuerit, tribus solidis componatur;

XXXVIII.

si in iunctura manus et brachii hoc evenerit, quatuor solidis componatur.

XXXIX.

si in cubito idem evenerit, IV solidis componatur;

XL.

si in summitate, qua brachium scapulae iungitur, evenerit, IV solidis componatur;

XLI.

si in pollicis superioris articuli iunctura fuerit, duobus solidis componatur; (XLII.) si in inferiori, tribus solidis componatur;

XLIII.

si ad iuncturam brachii et pollicis fuerit, IV solidis componatur.

XLIV [83].

si in cubito IV, si in iunctura scapulae similiter IV solidis componatur.

XLV [84].

Si quis oculum alterius ita percusserit, ut eo ulterius videre non possit, XX solidos et duos tremisses componat; (XLVI.) si totum oculum eruerit, medietatem weregildi sui componat.

XLVII [85].

Si quis alium pectus foraverit, XII solidos componat;

XLVIII [86].

si praecordia, id est herthamon, gladio tetigerit, XVIII solidos componat;

XLIX.

si praecordia perforaverit, XXIV solidos componat;

L [87].

si membranam qua iecor et splen pendent, quod mithridri dicunt, vulneraverit, XVIII solidos componat; (LI.) si illud perforaverit, XXIV solidos componat.

LII [88].

Si in ventrem vulneraverit, XII solidos componat.

LIII [89].

Si botellum vulneraverit XVIII, si perforaverit XXIV solidos componat.

LIV [90].

Si contra stomachum vulneraverit, XII solidos componat; (LV.) si stomachum tetigerit gladio, ut vulneretur, XVIII; si perforatus fuerit, XXIV solidos componat.

LVI.

Si botellus de vulnere processerit, et iterum interius remittitur, IV solidis supra compositionem vulneris com

ponatur; si de adipe [90] aliquid processerit ut praecidatur, IV solidis componatur.

LVII [92].

Si veretrum quis alium absciderit, weregildum suum componat.

LVIII.

Si unum testiculum excesserit, dimidium weregildum, si ambo, totum componat.

LIX [93].

Si testiculus exierit per vulnus, et iterum remittitur in locum suum, VI solidis supra compositionem vulneris componatur.

LX [94].

Si coxam supra genu vulneraverit, et os transversum fregerit vel praeciderit, XII solidos componat.

LXI.

Si tibia subtus genuculo media incisa fuerit, VI solidis, si tota, XII solidis componatur.

LXII [95].

Si pes totus abscissus fuerit, XLV solidis componatur.

LXIII.

Si pollicem pedis absciderit, VIII solidos componat, si proximum digitum VII, si tertium VI, si quartum V, si quintum IV solidos componat; reliqua pars pedis, quae inter tibiam et digitos est, XV solidis componatur.

LXIV.

Si humor per articulos digitorum decurrerit, sicut superius de manu scriptum est [96], ita et in pede componatur.

LXV [97].

Si quis alium iratus per capillos comprehenderit, duobus solidis componat, et pro freda IV solidis ad partem regis.

LXVI [98].

Vulnus quod longitudinem habeat quantum inter [99] pollicem et complicati indicis articulum spannum [1] impleat,

IV solidis componatur; quod integrae spannae longitudinem habuerit, hoc est quantum index et pollex extendi possunt, VI solidis componatur; (LXVII.) quod inter pollicem et medii digiti spannum longum fuerit, VIII [2] solidis componatur; (LXVIII.) quod a cubito usque ad iuncturam manus longitudine fuerit, duodecim solidis; (LXIX.) quod a cubito usque ad summitatem pollicis longum fuerit, XVIII solidis componatur; (LXX.) quod pleni cubiti [3], id est ad summos digitos manus extensae, longitudine fuerit, XXIV solidis componatur; quod supra est, non componitur.

LXXI [4].

Si de vulnere os exierit tantae magnitudinis, ut iactum in scutum trans publicam viam sonitus eius audiri possit, IV solidis componatur; (LXXII.) si duo ossa exierint, duo solidi adiiciantur, id est VI; (LXXIII.) si tria exierint, unus solidus adiicitur; (LXXIV.) si minora fuerint, quam ut in scuto iacta trans publicam viam audiri possint, dimidio minore compositione solvatur [5].

LXXV [6].

Vulnera tria, vel quatuor, vel eo amplius uno ictu facta mensurantur, et iuxta quod eorum fuerit longitudo, compositio persolvatur; si vero tria, vel quatuor, vel quotlibet vulnera totidem ictibus fuerint facta, quod ex his maximum fuerit, iuxta sui longitudinem componatur, caetera vero remaneant [7].

LXXVI [8].

Si manus percussa manca pependerit, dimidio componatur, quo debuit si fuisset abscissa; pes similiter; digitus similiter, qualiscunque fuerit; digitus pedis similiter.

LXXVII [9].

Si brachium iuxta scapulam abscissum fuerit, quinquaginta [10] tribus solidis et tremisse componatur.

LXXVIII.

Si brachium mancum pependerit, medietate, si abscissum fuisset componatur.

LXXIX [11].

Si quid de brachio atque manu, ita de coxa ac pede iudicatum est [12].

LXXX [13].

Si per vulnus pulmo exeat, quatuor solidi supra quantitatem vulneris componantur.

LXXXI.

Si spiritus per ipsum vulnus exierit, VIII solidis componatur.

LXXXII [14].

Qui libero homini manus iniecerit, et eum innocentem ligaverit, XV solidos componat, et duodecim solidos pro freda ad partem regis componat.

LXXXIII [15].

Si quis alium iuxta aquam stantem impinxerit, et in aquam, ita ut submergatur, proiecerit, IV solidos componat, et pro freda solidos II.

LXXXIV [16].

Si quis brachium vel coxam [17] alterius transpunxerit, VI solidos componat.

LXXXV [18].

Qui maxillas utrasque cum lingua sagitta vel quolibet telo transfixerit, XV solidos componat.

LXXXVI [19].

Qui utramque coxam cum folliculo testium telo traiecerit, similiter XV solidos componat.

LXXXVII [20].

Si quis hominem casu quolibet in aquam prolapsum liberaverit, IV solidorum remunerationem accipiat.

LXXXVIII [21].

Si quis liberam foeminam, et non suam, per mamillam [22] strinxerit, duobus solidis componat [23], et duos solidos

pro freda; (LXXXIX.) si per verenda eius comprehenderit, IV solidis componat et duos solidos pro freda.

XC [24].

Epilogus: Haec omnia ad liberum hominem pertinent, nobilis vero hominis compositio, sive in vulneribus [25] et percussionibus, et in omnibus quae superius scripta sunt, tertia parte maior efficitur; liti vero compositio, sive in vulneribus [26], sive in percussionibus, sive in mancationibus et in omnibus superius descriptis [27], medietate minor est, quam liberi hominis.

ADDITIO SAPIENTUM [28].

WULEMARUS [29]:

T I T. I [30].

DE PACE FAIDOSI.

I [31].

Homo faidosus pacem habeat in ecclesia, in domo sua, ad ecclesiam eundo, de ecclesia redeundo, ad placitum eundo, de placito redeundo. Qui hanc pacem effregerit, et hominem occiderlt, novies XXX solidos componat; (II.) si vulneraverit, novies XII solidos componat ad partem regis.

III [32].

Si quis caballum furaverit aut bovem, aut screonam [33] effregerit, capitali sententia puniatur, vel vitam suam pretio redimat.

TIT. II [34].

COMPOSITIO VULNERUM.

I [35].

Si quis alteri manum absciderit, XXV (?) solidos et V (?) denarios [36] componat; (II.) si indicem ad imum membrum praeciderit, VI solidos componat; (III.) si medium in eadem iunctura praeciderit, IV solidos [37] et dimidium; (IV.) si annularem, VII [38] solidos; si minimus [39] fuerit, solidos V.

V.

Pollex ex toto abscissus sic componitur, sicut IV digiti si omnes abscindantur, id est solidis XXII et dimidio.

VI.

Abscissio [40] palmae IV solidis componatur; si manus abscissa terram cadens tetigerit [41], ipse casus IV solidis componatur.

VII [42].

Si digitus quilibet superiori articulo praecisus fuerit, tertia portio compositionis eius exsolvatur; (VIII.) si in subteriori praecisus fuerit, duae partes compositionis solvantur; (IX.) si in ima iunctura, id est ex toto abscissus fuerit, tota solutio componatur; (X.) si non praecisus, sed debilitatus [43] et inutilis pependerit, medietas.

Hoc totum in triplo componatur [44].

(TIT. III *a* [45].)

I [46].

Pes ex toto abscissus componatur ut manus [47], id est tribus et quinquaginta solidis et tremisse.

II [48].

Pollex pedis undecim solidis et quarta parte solidi componatur; (III) proximus digitus pollici tribus solidis

componatur; (IV.) secundus duobus solidis et duabus partibus solidi componatur; tertius similiter; quartus similiter. (V.) Si tertia pars digiti fuerit abscissa, tertia pars solutionis componatur; (VI.) si duae partes, similiter duae partes componantur; (VII.) si totus, tota solutio componatur.

VIII [49].

Si quis alium ita in caput percusserit, ut surdus et mutus efficiatur, ter quinquaginta tribus solidis et tremisse [50] componat si alterum et non utrumque fuerit, medietas mulctae componatur.

IX [51].

Si auris ex toto abscissa fuerit, ter XII solidis componatur.

X [52].

Si nasus abscissus fuerit, ter XXVI solidos et duos tremisses [53] componat.

XI [54].

Si nasus una parte perforatus fuerit, ter IV solidis componatur; (XII.) si et cartilago perforata fuerit, ter VIII solidi componantur; (XIII.) si etiam ex altera parte telum exierit, ita ut tria foramina facta sint, ter XII solidi componantur.

XIV [55]

Si maxilla perforata fuerit, ter IV solidis componatur.

XV [56].

Si supercilium in transversum praecisum fuerit, ter IV solidis componatur.

XVI [57].

Si ex percussione deformitas faciei illata fuerit, quae de XII pedum longitudine possit agnosci [58], quod wlitiwam [59] dicunt, ter IV solidis componatur.

XVII [60].

Si granones praecisi fuerint, ter IV solidis componatur [61].

XVIII [62].

Si oculus vel os ita percussa fuerint, ut torqueantur, ter IV solidis componatur [61].

XIX [63].

Si palpebra praecisa fuerit, ter IV solidi componantur [64].

XX [65].

Rugae [66] frontis tres, si in transversum incisae [67] fuerint, ter XII solidi componantur; (XXI.) si una, ter IV solidi [68].

XXII [69].

Si homo ab alio ita in caput percussus fuerit, ut nec frigus nec calorem pro vulneris impatientia sufferre possit, ter IV solidi componantur.

XXIII [70].

Si quis alium in caput ita percusserit, ut testa perforetur, ter XII solidis componat.

XXIV [71].

Si ossa de vulnere exierint tantae magnitudinis, ut in scutum iactum, XII pedum spatio distante homine [72], possit audiri, unum ter IV solidis componatur, aliud ter duobus, tertium ter uno solido.

XXV [73].

Si quis alium percusserit, ut ferrum in osse figatur, ter tribus solidis componat; (XXVI.) si os apparuerit, non tamen incisum fuerit, ter solido et tremisse componat. (XXVII.) Os quodcunque ferro praecisum fuerit, ter IV solidis componatur.

XXVIII [74].

Costa si praecisa fuerit, ter tribus solidis componatur; (XXIX.) si non praecisa, sed incisa vel confixa [75] fuerit, ter solido et semisse componatur.

XXX.

Si quis alium trans costam ita percusserit, ut vulnus ad interiora venerit, ter XII solidos componat.

XXXI [76].

Si stomachus vel botellus perforatus fuerit, ita ut stercus per vulnus exierit, ter XXIV solidis componatur.

XXXII [77].

Si quis in iunctura [78] membrum cuiuslibet ita percusserit, ut humor ex vulnere decurrat, quem liduwagi [79] dicunt, ter IV solidos componat.

XXXIII [80].

Si quis alium ita percusserit, ut osse inciso medulla decurrat, ter IV solidos [81] componat.

XXXIV [82].

Si quis alium vulneraverit, et ipsum vulnus sanatum cicatricem depressam et non reliquae carni aequam duxerit, quod spido [83] dicunt, ter IV solidos componat.

XXXV [84].

Si brachium aut crus percussum fuerit, et ex ipsa percussione decrescerit a sua grossitudine, quam prius habuerit, quod smelido [85] dicunt, ter IV solidis componatur.

XXXVI [86].

Qui de anterioribus dentibus unum excusserit, ter duos solidos componat; (XXXVII.) si de angularibus, ter III solidos componat; (XXXVIII.) si de molaribus, ter IV solidos.

XXXIX [87].

Si quis crinem [88] alteri de capite abstraxerit, ter IV solidos componat; (XL.) si illum per capillos comprehenderit, similiter ter IV [89] solidos componat.

XLI [90].

Qui alium in aquam impinxerit, ita ut mergatur, ter IV solidos componat.

XLII [91].

Qui alium fuste percusserit, ut lividum fiat, ter solidum et semissem componat; (XLIII.) si tantum sanguinem dimiserit, ter solidum componat.

XLIV [92].

Si quis alium unguibus crataverit [93], ut non sanguis sed humor aquosa decurrat, quod cladolg [94] vocant, ter X denarios Fresionicos [95] componat.

XLV [96].

Si quis alium in tergum aut pectus ita vulneraverit, ut vulnus sanari non possit, sed per fistulas sanies decurrat, ter XII solidos componat.

XLVI [97].

Quodcunque membrum percussum ita debilitatum fuerit, ut ibi inutile pendeat, medietate componatur, qua [98] componi debuit, si penitus fuisset abscissum.

XLVII [99].

Si quis oculum excusserit, ter XL solidos [1] componat; (XLVIII) si non oculum excusserit, sed pupillos, ter XX solidos componat.

XLIX [2].

Si quis alii duo, aut tria [3], aut eo amplius vulnera uno ictu intulerit, et negare voluerit, quod uno ictu tot vulnera fecisset, liceat ei, qui vulneratus est, sua solius manu sacramentum peragere, quod tot vulnera uno ictu ei fuissent illata, et componat iuxta quod vulneris fuerit magnitudo; unum quodque vulnus secundum suam longitudinem componendum est. (L.) Si longum fuerit, quantum summus articulus indicis est, uno solido componatur [4]; (LI.) si quantum duo articuli indicis sunt, duobus solidis; (LII.) si quantum duo articuli et tertius dimidius, tribus solidis; (LIII.) si quantum totus index, IV solidis. (LIV.) Si supra longitudinem indicis spatium, quod inter indicem et pollicem est, fuerit adiectum, V solidis; (LV.) si adiectus fuerit inferior articulus pollicis, VI solidis; (LVI.) si et superior adiiciatur, quod vocant smelo [5], hoc est unius spannae [6] longitudinem habuerit, ter VIII solidis componatur; (LVII.) si quantum inter pollicem et medium extendi potest, longum fuerit, ter XII solidis

componatur; (LVIII.) si longius fuerit, iterum ad indicis articulos recurrat et metiatur, et sicut superius, adiiciatur et solidorum compositio.

Apud [7] *occidentales Fresiones inter Flehi et Sincfalam quot unciarum fuerit longitudo vulneris, tot solidorum compositione persolvitur, donec ad quinquaginta et tres solidos perveniat, et unum tremissem; ibi nobilis homo centum et sex solidis et duobus tremissis simpla compositione solvitur* [8].

Similiter [9] *inter Wisaram et Laubachi.*

Similiter [10] *manum ac pedem.*

HAEC [11] IUDICIA [12] SAXMUNDUS [13] DICTAVIT:

LIX [14].

Oculum (ter) XXV *solidis debere componi.*

LX [15].

Qui testiculos alii excusserit, ter quinquaginta tres solidos et tremissem;

LXI [16].

si brachium supra cubitum aut coxam transpunxerit, ter VI *solidos componat;*

LXII [17].

si brachium sub cubito aut tibiam transpunxerit, ter III *solidcs componat;*

LXIII [18].

si nasum transpunxerit, ter XII *solidos;* (LXIV.) *si unam parietem transpunxerit,* VI;

LXV [19].

si unam maxillam transpunxerit, VI *solidos.*

LXVI [20].

Qui alium in flumine, vel in qualibet aqua, in profundum impinxerit, ut pedibus terram tangere non possit sed natare debeat [21], *ter* XII *solidos componat.*

LXVII [22].

Qui alium in periculo aquae liberaverit, IV *solidorum mercedem accipiat.*

LXVIII [23].

Si [24] caballus aut bos aut quodlibet animal [25] homini vulnus intulerit, dominus eius, iuxta qualitatem vulneris in simplo componere iudicetur, et tres partes de ipsa mulcta componantur, quarta portione dimissa;

inter [26] Wisaram et Laubachi tota compositio in simplo persolvitur.

LXIX [27].

Si [28] homo quislibet telum manu tenet [29], et ipsum casu quolibet inciderit super alium, extra voluntatem eius qui illud manu tenet, in simplo iuxta qualitatem vulneris componat [30].

LXX [31].

Similiter et puer qui nondum XII *annos habet [32], si cuilibet vulnus intulerit, in simplo componat [33].*

LXXI [34].

Haec [35] omnes compositiones liberi hominis sunt, (LXXII.) *in [36] nobili homine dimidio maiores,* (LXXIII.) *in lito medietate minores [37].*

Inter [38] Flehi et Sincfalam solidus est duo denarii et dimidius, ad novam monetam;

inter Wisaram et Laubaci duo denarii novi solidus est.

LXXIV [39].

Si lingua praecisa fuerit, medio weregildo componatur.

LXXV [40].

Si quis hominem mortuum effodierit, et ibi aliquid tulerit, ut caetera furta componatur.

WULEMARUS DICIT:

LXXVI [41].

Si quis liber uxorem alterius contra legem tulerit, reddat eam et facinus ter quinquaginta tribus solidis et tremisse [42] componat, et pro freda ad partem regis weregildum suum.

LXXVII [43].

Si quis illicitas nuptias contraxerit, separabitur ab uxore sua, et liceat tam ei quam et uxori legitime nubere; (LXXVIII.) si vero separati fuerint, et iterum ad invicem fuerint reversi, weregildum suum uterque componat.

Inter [44] Laubachi et inter Flehi tres denarii novae monetae solidum faciunt.

TIT. III b. [45].

DE [46] EO QUI ALTERI VIAM CONTRADIXERIT.

Si liber libero in via manus iniecerit, et contra legem viam contradixerit, aut aliquid tollere voluerit, ter IV solidos componat, aut si negaverit, solus iuret in manu proximi.

TIT. IV [47].

DE [48] EO QUI ALTERUM DE CABALLO IACTAVERIT,

sic ei componat, quasi eum fuste percussisset; dimidium solidum componat [49].

TIT. V [50].

DE [51] MULIERE OCCISA.

Si quis mulierem occiderit, solvat eam iuxta conditionem suam; similiter sicut et masculum eiusdem conditionis solvere debet.

SAXMUNDUS [52].

T I T VI [53].

DE FLUMINE OBSTRUSO.

Si quis in flumine viam publicam occluserit, XII *solidos componat.*

WULEMARUS.

T I T. VII [54].

DE REBUS FUGITIVIS [55].

Si servus, aut ancilla, aut equus, aut bos, aut quodlibet animal, fugiens dominum suum, ab alio fuerit receptum, et quaerenti domino negatum, et iterum depublicatum, reddat aut ipsum quod suscepit, aut aliud simile, vel pretium [56] eius, et pro furto weregildum suum ad partem regis componat.

T I T VIII [57].

DE PIGNORIBUS [58].

I.

Si quis in pignus susceperit aut servum, aut equum, et ille servus aliquod damnum ibi fecerit, ad illum pertineat cuius servus est, non ad illum qui eum in pignus suscepit.

II.

Si vero quislibet servum alterius per vim sustulit pignoris

nomine, quod pant dicunt [59], et ille damnum aliquod ibi commiserit, ille qui eum sustulit, pro damni qualitate mulctam cogatur exsolvere.

T I T. IX [60].

DE COMPOSITIONE.

Vis [61] aut furtum in duplo componitur, et ad freda weregildum.

T I T. X [62].

DE RE PRAESTITA [63].

I [64].

Si homo alii equum suum praestiterit, vel quamlibet aliam pecuniam [65], talem qualis ei praestita est reddat domino eius; et si forte peioratum reddiderit, componat ei iuxta quantitatem, qua rem eius inpeioravit.

II [66].

Quodsi caballus, qui praestitus erat, ipsum qui illum [67] habuit calcibus percussit, aut forte occidit, nullus eum solvat.

T I T. XI [68].

HOC TRANS LAUBACHI DE HONORE TEMPLORUM [69].

Qui fanum effregerit, et ibi aliquid de sacris tulerit, ducitur ad mare [70], *et in sabulo, quod accessus maris operire solet, finduntur aures eius, et castratur* [71], *et immolatur diis* [72] *quorum templa violavit* [73].

IUDICIA WULEMARI [74].

HAEC [75] IUDICIA [76] WULEMARUS [77] DICTAVIT:

I [78]. Si contra stomachum [79] vulnus factum claudi non potuerit, XII solidos pro ipsa apertione componat; (II.) si ipse stomachus perforatus fuerit, nec vulnus medicamento claudi potuerit, pro vulneris apertione totidem solidos componat, quot [80] pro ipso vulnere composuit.

III [81]. Si intestina vel botelli [82] perforati claudi non potuerint, similiter faciant [83], id est totidem solidis apertionem vulnerum componat, quot [84] pro ipsis vulneribus composuit.

IV [85]. Si utraque coxa ferro [86] vel quolibet telo traiecta [87] fuerit, VI solidos componat; (V.) si folliculus testiculorum cum coxa, IX solidos componat; (VI.) si utraque coxa cum testiculis fuerint perforata, XV solidos componat.

VII [88]. Si quis alium in facie percusserit [89], ut oculus vel os torqueatur, IV solidos componat.

VIII [90]. Si quis alium in brachio vel in crure percusserit, ut ipsa membra decrescant, et ita fuerit subtiliatum, ut [91] duos digitos minuatur, IV solidos componat; (IX.) si unum, duos solidos; si digitus dimidius, solidum; si sexta pars digiti est, unum tremissem.

X [92]. Qui harpatorem [93], qui cum circulo [94] harpare potest, in manum percusserit, componat illud quarta parte maiore [95] compositione quam alteri eiusdem conditionis homini [96]; aurifici [97] similiter; (XI.) foeminae fresum [98] facienti similiter.

ANNOTATIONES

IN

LEGEM FRISIONUM.

[1] Verba legis Frisionum, quae ad Frisiam mediam inter Fli et Laubachi sitam pertinent, litteris vulgaribus sunt impressa, litteris vero cursivis quae pertinent ad Frisiam occidentalem (inter Fli et Sinkfalam sitam), vel ad Frisiam orientalem (inter Laubachi et Wisaram sitam). De partibus Frisiae dictis vide praefationem p. XV.

[2] Herold: *Incipit lex Frisionum. Et haec est simpla compositio. De homicidijs. Tit. I.* Editiones recentiores legunt: *Tit. I. De homicidiis*, et verba antecedentia putant inscriptonem separatam legis Frisionum, vel titulorum quorundam. Dubitare liceat, revera in codice ms. legis Frisionum Heroldiano verba: *Incipit lex Frisionum* inveniri; plurimae enim leges in collectione Heroldiana eadem ratione sunt inscriptae, ut exemplum afferam: *Incipit l. Alamannorum; Incipit l. Burgundionum*, etc. Voces: *haec est simpla compositio de homicidiis* ex mea opinione anno 802, quo textus legis Frisicae emendatns est, eo consilio sunt additae, ut quilibet intelligeret compositiones singulas tituli primi in simplo esse positas, ut iuris erat in Frisia tempore conceptionis tituli. Tempore quo textus noster legis cum Additione Sapientum scribebatur, compositiones de homicidiis in Frisia erant triplicatae, ita ut positiones tituli primi essent triplicandae, vide tit. III in Add. l. Fris., qui est

inscriptus: *Hoc totum in triplo componatur*, et ibid. III. 58: *inter Flehi et Sincfalam nobilis homo centum et sex solidis et duobus tremissis simpla compositione solvitur.*

[3] Herold. *paragraphus* 1, *paragraphus* 2 etc.; in textu originali legis sine dubio: 1, 2 etc., vel *capitulum* 1, *capitulum* 2, etc. scriptum erat; non enim tituli divisi erant in paragraphos, sed in capitula, vide tit. XI, 3: *hoc et superiori capitulo constitutum est*, i. e. tit. XI, 1.

[4] Nobiles legis Frisionum sunt quos diplomata Frisiae ac libri iuris tertio decimo ac quarto decimo scripti *ethelinga* vel *edelemen* vocant, vide Richthofen Fries. Wörterb. p. 720. Nobilibus Frisionum exaequantur nobiles Saxonum et Thuringorum, in legibus eorum commemorati.

[5] *Heredes occisi*, vide l. Fris. XIX, 2.

[6] Tertia pars compositionis, ad propinquos occisi pertinens, est *mentele* vel *meitele*, i. e. *magzahl*, iuris Frisici recentioris, cf. Fries. Wörterb. p. 921.

[7] Verba *inter* ... *similiter*, aeque ac verba ad finem cap. 4. 5. 8. 10. 12 et 22 posita, quae litteris cursivis imprimi feci, censeam anno 802 legi Frisionum antiquissimae addita esse, vide praefationem pag. XXX.

[8] Herold. *Cisfli* tit. I, 3. 4. 5. 8. etc.: *cis Fli*, i. e. citra Flevum vel in Frisia occidentali, qua in terra textus noster legis scriptus est.

[9] Her. *excepto.*

[10] Verba *inter Wisaram* ... *iuret* in editione Heroldiana ad finem capituli quarti leguntur; eadem in finem capituli quinti esse transponenda, vidit Gaupp Miscellen p. 2.

[11] Gaupp Miscellen p. 3 emendat: *cum 47 iuret.* Nullo modo in dubium referri potest, loco legis iuramentum liti et 47 sociorum postulari, neque tamen textum Heroldianum mutare velim, quum verba *cum* 48 *iuret* dicere possint: *litus et quadraginta septem liti iurent*, i. e. dictione Germanica *litus iuret sibi quadragesimus octavus*, ut tit. I, 10 dicitur: *sibi duodecimus iuret*, et tit. XIV, 1: *sua duodecima manu se purificet.*

[12] Cf. Add. leg. III, 58: *apud occidentales Fresiones inter Flehi et Sincfalam* ... *nobilis homo centum et* 6 *solidis et duobus tremissis simpla compositione solvitur; similiter inter Wisaram et Laubachi.* De compositionibus Frisionum, vide praefationem p. XXXIX. Compositio hominis liberi simpla in omnibus Frisiae partibus constabat ex 50 solidis (= 150 den. Fris.) vel ex 50 solid. + $3\frac{1}{3}$ solid. (= 160 denar. Frisic.); ex compositione

liberi ficta est compositio hominis nobilis, et quidem ita, ut in Frisia media nobilis = $1\frac{1}{2}$ liberi computaretur (id est 80 solidi = 240 denar. Fris.), in Frisia orientali et occidentali = 2 liberi (id est $106\frac{2}{3}$ solidi = 320 denar. Fris.). Tituli legis laudati I, 10 et Add. III. 58 in orientali Frisia idem dicunt weregeldum fuisse, non vero in occidentali Frisia: secundum locum primum liber ibidem in 50 solidos (= 150 den. Fris.), secundum alterum locum in 50 + $3\frac{1}{3}$ solid. (= 160 den. Fris.) computabatur. In titulo I, 10 omittuntur $3\frac{1}{3}$ solidi (= 10 den. Fris.) illi, qui in nonnullis compositionibus Frisicis vel omittuntur vel adduntur.

[13] Verba *solid. denarii* 3 *novae monatae*, uncinis includo, dicunt solidos esse trium denariorum Frisicorum, quibus ubique textus noster legis Frisionum utitur, quamquam Frisiones occidentales denarios in usu habebant, quorum $2\frac{1}{2}$, Frisiones orientales, quorum 2 solido Francorum exaequati sunt, cf. Add. III, 73. Denarii novae monetae sunt denarii Frisici denuo signati tempore Additionis legis Frisicae, quo quidem verba legi antiquissimae adiecta esse censeo.

[14] Cf. l. Fris. IV, 1.

[15] Cf. l. Fris. IV, 3.

[16] Hanc servi compositionem vid. in l. Fris. XV, 4.

[17] Verba capituli 13 ita interpretor: in Frisia media domino servi licebat iurare, se non iussisse servum suum occidere hominem quendam; quo facto dominus non solvebat weregeldum hominis a servo occisi, sed tantum mulctam quandam servi. Alio modo res sese habebat ex iure Frisiae orientalis secundum capitulum 22; hac in terra solvendum erat ubique weregeldum occisi a servo quodam, neque domino servi permissum erat iurare, se non iussisse occisionem illam. Quaerendum est autem, quae fuerit mulcta illa, quam dominus servi in Frisia media solverit. Accedere velim coniecturae amicissimi Wilda Strafrecht p. 659, qui proposuit, mulctam nominatam esse lytron illud servi 4 vel 12 solidorum, quod ex lege Fris. IX, 3 et XIII solvit, »qui ancillam alienam violavit". Hanc sententiam non comprobavit Gaupp Germanistische Abhandl. Mannheim 1853 p. 9 sq., et confirmavit cum Türk Forschungen V. p. 77, solvendum fuisse duplex weregeldum occisi a domino servi. Haec Gauppii sententia facile infirmari potest: ex lege Fris, I, 14 in Frisia media dominus servi, non negans servum iussu suo hominem occidisse, »solvat occisum sicut manu sua occidisset", i. e. weregildum occisi componat secundum tit. I, 1—10. Si verum esset, quod Gauppius censebat, in

Frisia media dominum duplex weregeldum solvisse, qui non iussisset servum suum hominem quendam occidere, nullo modo a domino occisionem cuiusdam hominis iubente simplex tantum weregeldum solvi potuisset. Gauppius hanc videns interpretationis propositae difficultatem, verba tit I, 14 laudata ita explicavit, ut a domino occisionem hominis iubente triplex weregeldum solvendum fuisset. Indicare velim, hanc interpretationem prorsus esse illicitam. Titulus primus legis Frisionum inscriptus est: *Haec est simpla compositio de homicidiis*, et in omnibus tituli eiusdem capitulis »compositiones simplae" sunt propositae, quae ex tenore legis nostrae Frisicae a iudice in praxi fuerint triplicandae. Quae quum ita sint, vix credibile est, in capitulo 13 tituli unam tantum compositionem esse duplicatam, ratione nulla habita neque inscriptionis tituli, neque omnium aliarum positionum tituli, quae in simplo reservatae, ab iudice in praxi essent triplicandae. Voce *mulcta* lex Fris. I, 1 weregeldum exprimit, in capitulo autem 13 poenam quandam aut lytron, quod domino ancillae violatae solveretur.

[18] Herold. *duobus nobilibus et;* Gaupp Miscellen p 4 emendat *duobus, nobili uno et* etc., lego: *duobus, nobili et.* Secundum I legis Fris. iuramentum consacramentalium ita est constitutum, ut liber iuret contra liberum cum undecim liberis, id est sibi duodecimus, et omnia iuramenta nobilium, liberorum et litorum aestimentur pretiis vel weregeldis eorum. In capitulo 16 in Frisia media iurat nobilis contra nobilem cum nobilibus tribus, i. e. sibi quartus; inde efficitur, in cap. 17 a nobili contra liberum iurandum esse cum uno nobili et uno libero (1 nobilis $= 1\frac{1}{2}$ liberi; ergo 2 nobiles $+$ 1 liber $=$ 4 liberi).

[19] Verba capituli 22 de iure Frisiae orientalis et occidentalis in editione Heroldiana in fine tituli I sine numero quodam leguntur; persuasum mihi est, verba dicta titulo primo anno 802 addita esse, aeque ac verba titulo inscripta et capitulis eiusdem 3. 4. 5. 8. 10 et 12 adiecta. Quum vero in lege nostra Frisionum certus ordo rerum desideretur, ac permulta non eisdem legis capitulis sunt addita, quae illustrent vel emendent, non est quod verbis capituli cum Gauppio Lex Fris. p. 5 locum in fine capituli 13 assignemus.

[20] Titulum secundum in usum Frisiae mediae primitus esse conceptum, argumento est weregeldum nobilis et liberi in capitulis 4 et 6 commemoratum, weregeldis Frisiae occidentalis et orientalis prorsus neglectis. Quod respiciens iudicem, titulum secundum partem fuisse vetustissimae legis Frisicae, neque accedam

opinioni cel. Wilda Strafrecht p. 631, qui, ratione habita copiosae tituli dictionis, explicat eundem, (quem dicit *ein schweres und singuläres Gesetz*) legi multis post annis adiectum esse. Additionem Wulemari in fine tituli serius adscriptam esse, manifestum est. De titulo confer. Rogge Gerichtswesen p. 26—28, Woringen Beiträge p. 49, Wilda Strafrecht p. 631.

[21] Herold. *Forresni;* editiones recentiores, excepta tamen ea quam Siccama publicavit, substituunt *De forresni.* Siccama in Commentar. leg. Fris. putat, » pro *forresni* rescribendum esse *forredni* sive *forrednisse,* id est proditionem". Formae vocis commemoratae sunt in sermone theot. vetere *forradenisse*, *verradenisse*, Graff II. p. 467, in sermone Frisiae occidentalis saeculi XIII: *verratnesse*, Westfries. Handf. a. 1299 Mieris I. p. 617; non habemus quod vocem *forresni* modo dicto emendemus. Aliam vocis interpretationem proposuit Iac. Grimm Gött. gel. Anz 1832 p. 1195: *Forresni deutet sich wahrscheinlich ganz aus der Fries. Spracheigenthümlichkeit. Dieser Dialect pflegt den harten Kehllaut k und kk in ein zischendes sz zu verwandeln; das oft vorkommende Fries. Verbum resza entspricht dem ahd.* rechan, *altnord. reka, und bedeutet pellere, tradere. Forresni darf also ausgelegt werden propulsio, traditio, proditio, verrätherische Dargebung.* Sunt mihi dubitationes hac in interpretatione praeceptoris dilectissimi. Ex verbo Fris. *reka*, *resza* in sermone Frisico transflevano saeculi decimi tertii formare liceat substantivum quoddam *rekane*, *reszane*, *reszene;* nunquam vero exspectarem in documento Frisico saeculi noni formam *resni* pro *reszane* contractam, neque concedam conformationem litterae *k* in *sz* in sermone Frisiae occidentalis, quo utitur Lex Frisionum. Assensione comprobem interpretationi ab I. Grimmio repudiatae, ex qua vox *forresni* sit emendanda in *for-esni. Esni*, anglosax. *esne*, theot. vet. *asni*, significat mercenarium, hominem mercede conductum; et *for-esni* transferre velim voce theot. *ver-löhner*, i. e. expositor, quo verbo Latino utitur textus tituli legis Frisicae, ut transferat vocem *foresni*, vel elocator (i. e. qui elocat), quod eodem sensu in lege Salica tit. 28 occurrit.

[22] Her. *ad occidentem;* em. *ad occidendum.*

[23] Quaeramus quid sibi significent verba: *si nobilis nobilem per ingenium alii homini ad occidendum exposuerit*, et verba in additione Wulemari ad tit. II: *si quis rem alii ad auferendum exposuerit.* Hominem qui tale scelus patrat, expositorem textus noster dicit. Ducange nostro in legis loco *exponere hominem ad occidendum* illustravit: *aliquem adsciscere, ut alium*

occidat; eoque auctore verbum exponendi Rogge p. 27 hoc in loco voce theotisca *anstiften* transtulit, et Wilda p. 631 locum legis ita interpretatus est: *es hatte Iemand dahin gewirkt, theils wohl durch psychologische Mitwirkung, theils indem er die Gelegenheit dazu verschaffte, dass* etc. Haud ambigam vocem *exponere* nostro in legis loco ita esse interpretandam, ut dicat » conducere mercede"; quo in sensu titulus 28 legis Salicae ed. Merkel » de elocationibus" voce *elocare* (*louer*) utitur scribens: *si quis in furtum elocatus accepto precio hominem occidere voluerit*, et: *si quis in furtum aliquid elocare voluerit.* Verbis compositis *ex-ponere* et *e-locare* medium aevum his in locis unam eandemque attribuit significationem, ratione fortasse habita verborum simplicium *ponere* et *locare*, quae saepissime idem sibi volunt. Delictum in loco legis Salicae et in loco legis Frisicae tractatum ita inter se differt, ut lex Frisionum » expositum" iam esse occisum, lex Salica autem eum in fugam se contulisse. Afferre tandem velim ad defensionem interpretationis meae propositae inscriptionem tituli *for-esni*, quam elocatorum (i. e. verdinger) exprimere, in nota 21 explicavi.

[24] Voce *leudis*, qua weregeldum exprimitur, iuri Frisico saeculorum posteriorum hoc in sensu incognita (vide Fries. Wb. s. v. *liode* vel *liude* i. e. homines), utuntur: lex Fris. II, 1. 4—9. V, 2. XIV, 4. 5. 7, l. Sal. ed. Merkel 53. 95 (in gloss. Malb. *leudi*, *leodi*, cf. Grimm Malb. Gl. p. X), l. Thur. tit. de alodibus; vel in formis: *leod* (masc.) l. Aethelb. 22. 23, *leode* l. ad Amorem c. 19, *leodem* (accus.) Capitulare a. 819 c. 7, Mon. Germ. LL. I. p. 226, *liudem* (accus.) Cap. a. 808 c. 2, Mon. G. LL. I. p. 152. De verbo ex Germanico *liud* vel *leod* (populus, homo) interpretando vide Grimm RA, p. 652, Malb. Gl. p. X et Müllenhof ad Waitz Sal. R. p. 288.

[25] *Inimicitias .. patiatur* II, 2 vel *inimicitias portet* Add. ad tit. II, idem est quod *faidam patiatur*, vel *faidam portet*, ut l. Sax. II, dicit, vel *faidosus permaneat*, ut in lege Fris. II, 7 et Add. I, 1 invenitur. Vocem Germanicam *faidam* verbo Latino inimicitiae translatam esse, probant loci legum Germanicarum plurimi, v. gr.: Ed. Rotharis 45. 74. 162: *faida id est inimicitia;* Petitio Fris. X (circa annum 1200 concepta): *omnes Frisiones habent eorum inimicitias sive feithe cum pecunia emendare*, Fries. Rq. p. 24, 23. In documentis patrio sermone conceptis, vox *faida* scribitur vario modo: in dial. theot. sup. vet. *fehida*, in dial. Anglosax. *faehdh*, in dialecto Frisiae mediae et orientalis recentiore *faithe*, *feithe*, *faite*, Fries. Wb. p. 730,

in dial. Fris. occid. rec. *veyde*. De etymol. vocis cf. Grimm Wb. III. p. 1417: de vi autem atque effectu faidae cf. Wilda p. 192, Waitz D. Verfass. G. I. pag. 197, Müllenhof in Waitz Sal. R. p. 282, Siegel Gerichtsv. p. 17, Schmid Gesetze d. Angels. p. 570 sq.

[26] Her. *cum tres;* em. *cum tribus.*

[27] Textu capituli quarti definitur iuramentum hominis nobilis duobus cum consacramentalibus esse praestandum, neque vero cum tribus ut in cap. 3 praeceptum est. Numerus trium consacramentalium, tertio in capitulo postulatus, hoc in capitulo in duos est mutatus, i. e. » tertia sacramenti portio adempta est", et id quidem, ut verba dicunt legis, *propter viliorem personam liberi hominis.* Quod omni modo convenit ad aestimationem diversam hominum liberorum et nobilium in Frisia media; weregeldum enim Frisionis liberi hac in terra erat $53\frac{1}{3}$ solid., hominis nobilis 80 solid.; et $53\frac{1}{3}$ solidi idem valent quod $\frac{2}{3} \times 80$ solidi. In Frisiam orientalem et occidentalem textus tituli II omnino non cadit, quum auctoritate tituli primi his in terris duo homines liberi uni homini nobili in aequo essent ponendi.

[28] In editione Her. hoc capitulum sextum numeratur, eodem modo quo antecedens; numeros emendavi.

[29] *Faidosus permaneat* II, 27 idem est quod *inimicitias portet*, vide not. 25; de pace faidosi conferas l. Fris. Add. I. Nomen adiectivum »faidosus" formatum est in lingua Latina medii aevi a voce Germanica *faida*, in nota 25 explicata; idem dicit ius Fris. saeculi decimi tertii voce *fath: en fath and frethlas mon*, conf. Fries. Wb. pag. 729.

[30] Herold. *depta;* em. *adempta*, ut in cap. 4. 5.

[31] Her. *quamlibet;* em. Lindenbrog. *quam liber.*

[32] Her. *ide scelus.*

[33] Her. *per ordine;* em. *per ordinem*

[34] Her. *Fvlemarus*, conf. praef. Leg. Fris. p. XLVII

[35] Verba: *Haec Wulemarus, addidit*, in editione Heroldiana litteris maiusculis impressa, dicunt capitulum cui sunt inscripta non fuisse partem primitivam textus legis Frisicae antiquissimae, cui sunt inserti, sed additionem Wulemari, iudicis vel sapientis illius, qui cum Saxmundo socio, ni fallor auctoritate Karoli Magni imperatoris anno 802 p. Chr. n., Additionem, quam dicunt Sapientum, legi Frisionum addidit, qua quidem permulti legis Frisicae loci sunt emendati.

[36] *Ad auferendum exposuerit*, vide not. 23.

[37] Weregeldum in titulo II legis Fris. voce *leudis* exprimitur, vide not. 24, in hoc tituli additamento autem voce *compositio*,

[38] Conf. not. 25.

[39] Capitula 1—7 tituli tertii ad Frisiam mediam pertinere, weregeldo hominis nobilis demonstratur, solidis 80 aestimato; capitula 8 et 9 autem eiusdem tituli ad Frisiam orientalem esse referenda, vide not. 48. Ius furti non idem erat in Frisia media et orientali, et quod priores legis Frisicae tituli de eodem proferunt, posterioribus, quos serius legi additos censeo, auctum vel emendatum est. Capitula 1—4 tituli tertii ius Frisiae mediae de furto ita referunt, ut fur quod abstulit in duplo restituat, ac regi solvat fredam, quae consistat in weregeldo ipsius. Titulo IX Additionis l. Fris. idem ius renovatur, freda illa nullo modo triplicata, quam lex definierat; et in titulo I Additionis cap. 3 ita constitutum est, ut qui furtum fecerit equi aut bovis, » aut screonam effregerit, capitali sententia puniatur, vel vitam suam pretio redimat"; quae verba ita sunt interpretanda, ut fur illarum rerum weregeldum suum loco fredae solvat. Titulo III Additionis cap. 75 furta sepulcrorum vulgaribus furtis exaequantur. Titulo VII Additionis tandem notio et vis furti ita explicatur, ut qui » res fugitivas" possideat et non reddat, de furto damnetur, neque tamen pretium duplex rei furtivae exsolvat, sed tantum » reddat aut ipsum quod sustulit, aut aliud simile, vel pretium eius". Plane diversum est ius furti, quod in Frisia orientali vigebat: capitula 8 et 9 tituli III ita sanciunt, ut fur pretium rei furtivae » in simplo" restituat, loco fredae, ut in Frisia media, weregeldum suum pendat, praeterea autem » manum 60 solidis redimat", i. e. bannum, quem dicunt regium, solvat. Frisiam occidentalem iure Frisiae mediae usam fuisse, confirmant capitula 3 et 7 tituli XIV. De furto iuris Germanici conf. Wilda p. 859, Köstlin in Krit. Ueberschau III. pag. 149, Schmid Angels. Ges. p. 554.

[40] Formam vocis *thiubda* dialecto Frisiae mediae et orientalis non esse conformem, testimonio est littera *b* in media voce posita, quam in dialecto theotisca superiore usitatam, dialecti illae Frisicae in litteram *f* vel *v* mutant, nisi sit cum littera *m* coniuncta (i. e. *mb*). Fur dicitur in dialecto Frisiae orientalis *thiaf* (genit. *thiaves*), in dialecto Frisiae mediae *tief* (gen. *tieves*), conf. Fries. Wb. p. 1071; Anglosax. ðeof, ðeaf; Island. *thiofr*; in dialecto poematis Heliand: *thiof*, *theof* (genit. *thiobhes*, *theobes*), Schmeller Gloss. Sax. p. 115; in dial. Frisiae occident. *dief*, Handf. v. Zeeland a. 1290 § 71. 78, Mieris I. p. 517; in dial. theot. sup. vetere *thiup*, *diub*, *thiob*, Graff V. p. 97; in

dialecto theot. sup. med. *diup*, *diep* (genit. *diebes*), Beneke I. p. 324. Porro verbum furtum in dial. Frisiae orient. *thiuvethe*, *thiuvede*, *thiufthe*, *thiufte;* in dial. Frisiae mediae *tiefte*, cf. Fries. Wb. p. 1075, Anglosax. þeofð, þyfð, þiefð; in dialecto Frisiae occidentalis: *diefte*, Zeeland. Handf. a. 1290 § 71. 78, Mieris I. p. 517. Westfries. Handf. a. 1299 § 3, Mieris I, p. 617; in dial. theot. super. med. *diube*, *diuve*, Beneke I. p. 325, et *diufte* in Cod. Vindob. Walterii ed. Lachmann p. 210; in dial. sup. vet. *thiuba*, *diuba*, *diuva* et *thiubheit*, Graff V. p. 98, Quae quum ita sint, forma *thiubda* legis Frisicae medium tenet inter formationes dialectorum Frisicarum, earumque quibus regiones Frisiae occidentali vicinae, in meridiem spectantes, utebantur.

41 Legem Frisionum legenti occurrunt formae vocis: *freda* III, 2. 4. VII, 2. VIII, 1. XVI, 1. XVII, 1. 2. XXII, 65. 82. 88. 89, et *fredus* III, 3. XVI, 1. In dialecto Frisicae orientalis scribitur *fretho*, in dialecto Frisiae mediae *frede*, *ferda*, *ferd*, conf. Fries. Wörterb. p. 760; in dial. Anglosax. friðu, freoðu, freoðo; in dial. poematis Heliand *frithu*, *fritho*, *fridu;* in dial. theot. sup. vet. *frithu*, *fridu*, *frido*, *frida*, Graff III. p. 789. Voce *freda* dicitur pax, deinde vero poena pacis, cf. Woringen Beitr. p. 90. 164. Wilda p. 438. Waitz Verf. G. I. p. 194. II. p. 470 et Schmid Angels. Ges. p. 584.

2 Verbo *weregildus* aut *weregildum* utuntur loci legis Frisionum sequentes: I, 10. III, 2—4. 8. VII, 2. VIII, 1. IX, 1. 8—10. 14—17. X, 1. XIV, 3. XV. XVII, 2. 4. 5. XX, 2. XXI, 1. XXII, 46. 57. 58. Add. III, 74. 76. 78. VIII. X, 1; ita ut verbum in omnibus Legis partibus occurrat, quae aliis in locis utitur vocibus *leudis*, vide ad tit. II. not. 24 et *compositio*. Verbum *weregeldus*, legi Salicae antiquissimae alienum, invenitur in legibus Ripuariorum, Alamannorum, Baiuvariorum et Anglosaxonum; et posteriore tempore: in libris legum Frisicarum, vide Fries. Wb. p. 1140, in Speculo Sax., vide Homeyer Reg. z. Ssp., etc. *Were-geld* idem significat quod *man-geld* (precium hominis), cf. Grimm RA. p. 650.

43 Capitula 5—7 tituli III explicant, quid sit faciendum domino servi, » si servus furti reus esse dicatur". Domino permissum est iuramento suo repellere accusationem instructam; nolente vero domino ius iurandum illud dare, servus iudicium Dei subeat. Capitulis 5—7 laudatis adiectus est titulus XII legis Fris., neque tamen titulus XII aliquid immutat de dictis tituli III.

[44] Auctoritate capitulorum 5 et 6 tituli III et cap. 1 et 2 tituli XII legis Fris., dominus servi iuret » in reliquiis (» in reliquiis sanctorum"), si res grandis erat", » in vestimento suo (» in vestimento vel pecunia"), si minor erat". Iuramentum in reliquiis, in Frisia media et orientali saeculi XIII et XIV *witheth* nominatum, satis est cognitum, conf. Fries. Wb. p. 715. 1155; iuramentum in vestimento autem illustratur legibus recentioribus Frisiae mediae, in quibus legimus: *so agh hi op to nimen mit siner winster hand sine winstera gara, ende der op to lidsen tween fingeren fan sine fora hand, ende sware dan*, Fries. Rq. p. 399, 5 (textus veteris editionis ita est emendandus ex Ms. S. p. 27); et *so schil hi faen oen sinre gara ende swara*, Fries. Rq. p. 476, 29. Vox Fris. *gare* significat fimbriam vestis (rockschooȝ), conf. Fries. Wb. pag. 773. Celeberrimus I. Grimm, RA. pag. 158. 899, his ductus locis, cum Siccama ad legis Fris. tit. XII existimat, iuramentum in vestimento fuisse iuramentum ita iuratum, ut iuramentum praestans fimbriam vestis suae apprehendisset. Non vero Henrico Siegel Deutsches Gerichtsverfahren I. p. 228 assentiam, qui notulas quasdam Merkelii ad Leg. Alaman. p. 34, n. 4 et p. 78, n. 66 afferens, hanc Iacobi Grimmii nostri opinionem falsam esse dicit, et putat, iuramentum in vestimento oppositum fuisse iuramento in armis, ita ut illud iurans non arma, sed vestem domesticam sibi induisset.

[45] Her. *servum ad aut;* Lindenbrog em. *aut servum ad.*

[46] Her. *ex animet;* Lindenbrog em. *examinet.*

[47] *Quatuor solidis*, conf. IX, 3. 17. XVIII, 2 et I, 13 leg. Fris.

[48] Capitula 8 et 9 tit. III ad Frisiam orientalem referenda esse, docuit vir doctus Wilda p. 460; in Frisia enim media non simplex sed duplex rei furtivae pretium restituendum est, in Frisia occidentali autem non » manus furis 60 solidis redimitur", vide not. 39 ad tit. III. Censeo capitula 8 et 9 anno 785 legi antiquissimae addita esse, quo Frisia orientalis regno Francorum est subiecta; quam meam opinionem confirmat bannus regius, legi antiquissimae alienus, cuius capitula mentionem faciunt, vide not. 50.

[49] Non transire silentio velim coniecturam quam fecit vir doctissimus Wilda p. 103; ex qua quidem weregeldum simplex vel multiplicatum regi solvendum loco poenae capitalis in Frisia inductum fuisset, vide tit. V, 1: *sine compositione potest occidi fur, si in fossa qua domum alterius effodere conatur, fuerit*

repertus, et Add. I, 3: *si quis caballum furaverit aut...*, *capitali sententia puniatur*, *vel vitam suam pretio redimat.*

[50] Verba legis III, 8. 9: *manum 60 solidis redimat*, et XIV, 7: *qui campionem..occisum conduxit 60 solidos ad partem regis componat*, mentionem faciunt 60 solidorum, i. e. banni regii, ex capitularibus regum Francorum satis cogniti, de eodem conf. v. Woringen Beitr. p. 161, Wilda Strafr. p. 460. 469. 509, Waitz Verf. II. p. 537. III. p. 276. Vide praef. p. XXXIV.

[51] Capitulum 1 tituli IV, ad Frisiam mediam pertinens, tempore antiquissimo conceptum est, quo lex in usum huius tantum Frisiae partis conscribebatur, neque capituli verba sunt mutata, quum in capitulo 4 tituli decimi quinti legi additi destinaretur compositio certa servi in Frisia orientalis solvenda, quae pars Frisiae anno 785 regno Francorum erat subiecta. Verba in fine capituli 12 tituli I legis Fris. posita »inter Laubachi et Wisuram (servus) habet compositionem" posteriore tempore, et ni fallor anno 802, legi adiecta esse, iam supra illustravi.

[52] Verba capituli 2 canem excipiunt de numero animalium, quae a domino eorum sint aestimanda, eique capitula 4—8 certam compositionem assignant; quaeritur, utrum capitulum tituli secundum vetustissimae legis pars sit, nec ne.

[53] Iudicis est dictare, quomodo ab eo qui neget iuramentum sit praestandum, vide I, 12. III, 5. 6. Voce *iudex* autem hoc in loco nomen Frisicum *asega* est translatum, qui quidem eodem modo in Frisia media saeculi decimi tertii, numerum ac formam iuramentorum, onus probandi, atque omnem processum iudicii praescribit, vide Fries. Rechtsq. p. 395 § 48, p. 411 § 2. p. 422 § 10, p. 397 § 61, p. 399. § 70, p. 412, 22, p. 413 § 2, p. 417 § 19, p. 418 § 29.

[54] Capitula 4—8 anno 785 legi addita esse videntur, explicant enim quomodo in Frisia occidentali et media (*hoc est inter Laubaci et Sincfalam*) et in Frisia orientali (*trans Laubaci*) canes componantur.

[55] Canis acceptoricius vel »canis acceptor" canis est qui feram accipit vel capit, aut talis qui cum accipitre venatur aves, conf. in lege Bai. XIX, 6 *canem qui dicitur habuhhunt.*

[56] »Braco" vel (barm-) »braccus" est vox Germanica initio medii aevi in linguas Romanicas recepta, conf. Ducange et Grimm D. Wb. II. p. 289. In sermone theot. sup. vet. *bracco*, *bracke* (lyciscus), Graff III. p. 277, in theot. sup. med. *bracke*, W.

Müller, I. p. 231, in Saxon. med. *bracke*, Sachsensp. invenitur; sermo hodiernus theotiscus utitur voce *bracke*, Hollandicus voce *brak*, neque dialecto Clivensi et Brabantinae vox est incognita, vide Teutonista p. 38 et Kilian p. 86. Legenti autem documenta ac libros in sermone Islandico, Anglosaxonico aut in dialectis Frisiae orientalis et mediae scriptos vox *bracco* nunquam occurrit. Libri qui de legibus Frisiae orientalis et mediae saeculis XIII—XV scripti sunt, haud raro de canibus verba faciunt, atque in titulo 72 Iurisprudentiae Frisicae de diversis eorum generibus agitur, verbo *bracke* non utuntur. Haec respiciens non dubitem, quin vox *bracke* Frisiae orientali et mediae prorsus incognita fuerit; et vox in lege Frisionum usitata affirmet, textum legis nostrum » cis Fli", ut cum lege loquar, vel in Frisia occidentali, scriptum esse.

[57] Barmbraccus idem est quod *schoosz-hund* in sermone theotisco: de voce *barm* (sinus, gremium), in omnibus fere dialectis Germaniae veteris usitata, conf. Grimm Wb. I. p. 1134. In lege Ostrogothica (*bygdabalken* 24 § 2 in Schlyter Corp. Iur. Sueogoth. II, p. 212) pretium canis, qui dicitur *kövaerne* (i. e. schoosz-hund), in 6 oeras, canis autem pastoralis, *hiorþhund* vocati, in 2 oeras aestimatum est.

[58] *Canis qui lacerat lupum*, vide in lege Alam. 84, 4 ed. Merkel p. 75: *canem pastoralem qui lupum mordet, et pecus ex ore eius tollit*, etc. et in leg. Bai. XIX, 8.

[59] *Canis custos pecoris*, vide in lege Sal. VI, 3 pastoralem canem, et in Sachsensp. III, 51 » den scaprode".

[60] Conf. not. 54.

[61] *Canis custos domus*, vide in leg. Bai. XIX. 9 *hovawart, qui curtem domini defendit*, in Sachsensp. III, 51 *den hofwart*.

[62] Titulus V ad Frisiam mediam pertinet, de iure Frisiae orientalis diverso vide not. 63 et 67; ac censeo, titulum partem fuisse vetustissimae legis Frisicae.

[63] *Campiones sine compositione occidi possunt*, vide capitulum 7 tituli XIV, quo in usum Frisiae orientalis praeceptum est, ab eo qui campionem occisum mercede conduxisset, bannum regium 60 solidorum esse solvendum. De campionibus cfr. Rogge p. 204; Grimm RA. p. 677, 927; Gaupp L. Thur. p. 405; Wilda Strafr. p. 702; Unger Zweikampf, Göttingen 1847; de iure Fris. recent. conf. Fries. Wb. p. 857 et verba statuti cuiusdam saeculo XIII. conscripti, quae dicunt: *si pugil occiditur in duello, non habebit wergeldum, sed tantum suum salarium*

quo convenit cum illo pro quo pugnavit, Fries. Rechtsq. p. 138, 20. Verbo *campio*, derivato ex voce Germanica *kamp* (i. e. pugna, in l. Fris. XI, 3 et XIV, 5 *campus*), permulta medii aevi documenta latine scripta utuntur, conf. Ducange. In dialecto Anglosaxon. forma *cempa* nobis occurrit, in dial. Frisiae orientalis et mediae *kampa*, *kempa*, in dial. theot sup. vet. *chemphio* et *chempho*, *kemfo*, Graff IV. p. 407.

[64] Adulter sine compositione occidi potest a marito, qui eum in adulterio deprehendit, vide leg. Rip. 77 et Bai. VII, 2, et conf. Grimm. RA. p. 743 et Wilda Strafr. p. 824.

[65] Fur sine compositione occidi potest, si domum alterius effodiens reperitur, vide leg. Sax. IV, 4 (ed. Merkel c. 32), leg. Rip. 77, l. Bai. VIII, 5, Decret. Tassil. c. 3, Capitul. IV, 19. Conf. Grimm RA. p. 743; Wilda p. 890. De iure furti conf. not. 39 ad tit. III.

[66] Incendiarii in recenti comprehensi, sine compositione occidi possunt, vide Grimm RA. p. 743; Wilda p. 504. 947. Verbis tituli nostri conferenda sunt, quibus utuntur leges Frisiae orientalis saeculo XIII. conscriptae: *werther en bernere bifen mith colege crocha and mit hrumegere hond*, *sa* etc., Fries. Rq. p. 171, 14.

[67] „Qui fanum effregit, sine compositione occidi potest", vide quae de iure fanorum in Frisia orientali ad haec verba sunt adiecta in Add. l. Fris. XI. Fanum est templum paganorum, neque vero ecclesia christiana, quae in lege Fris. XIV, 1. basilica et ecclesia in Additione leg. Fris. I, 1. ecclesia vocatur.

[68] Si mater infantem ab utero sublatum enecat, nullam infantis compositionem solvat; si alia autem femina infantem occiderit, leudem suam regi componat. Haec sunt quae dicunt voces editionis Heroldianae, quas ad verbum in textum recepi. In editione Lindenbrogiana legitur: *qui fanum effregit, et infantem ab utero matris sublatum enecat;* hanc Lindenbrogii lectionem a Gauppio in Leg. Fris. p. 11 et Wilda p. 725 defensam, coniecturam editoris esse infelicissimam, in libro meo Fries. Rechtsq. pag. XII exposui; nunquam enim credam, interfectorem infantis in Frisia sine weregeldo occidi potuisse, quod quidem verba textus Lindenbrogiani dicunt. Auctoritate Vitae S. Liudgeri cap. 6 et 7 iure pagano Frisionum orientalium permissum erat, infantem necare, qui cibum nullum sumsisset, vide Grimm RA. p. 458; Kraut Vormunds. I. p. 45; Wilda Strafr. p. 725; lex nostra Frisionum ius vetustissimum illud ita coercet, ut matri tantum permissum sit liberos sanguinolentos occidere.

[69] Conf. Decret. Tassilonis c. 10: *si servus mulierem nobilem acceperit in coniugium, et non praescivit,...ut iterum libera sit, et dimittat servum* etc.; et Capit. a. 757. c. 7: *si Francus homo acceperit mulierem, et sperat quod ingenua sit, et postea invenit quod non est ingenua, dimittat eam si vult, et accipiat aliam; similiter et femina ingenua.* Mon. G. LL. I. p. 28.

[70] Titulum VII ad Frisiam mediam pertinere, verba confirmant in fine capituli secundi adiecta, quae ius Frisiae orientalis illustrant. Capitulum primum tituli VII antiquissimae legi Fris. adnumerem, vide not. 72.

[71] *De brand.* Forma vocis *brand* (incensio), qua lex Fris. utitur, nobis occurrit in regionibus Frisiae occidentalis veteris saeculo decimo tertio (vide in dipl. lat. script. Zeelandic. a. 1256 *herebrantum*, Mieris I. p. 304, et *brant* in Melis Stoke IX. v. 354. 362); in libris iuris Frisiae orientalis scriptum est *brond*, in libr. iur. Fris. mediae *brand*, cf. Fries. Wb. p. 670, in dial. Anglosax. *brand*, Island. *brandr*, theot. super. vet. *prant*, *brant*.

[72] Cap 2 tit. VII ad Frisiam mediam et orientalem pertinet, et credam ad capitulum primum additum esse anno 785, quo Frisia orientalis regno Francorum subiecta est. Capitulum primum generatim loquitur de incendio domus, capitulum secundum explicat quomodo incendiarius sit tractandus, qui eo consilio ignes domo intulerit, ut possessorem eiusdem hac occasione occideret, conf. Wilda p. 104. 947. Ex iure capituli primi, quod ius Frisiae antiquissimum censeam, incendiarius »quicquid concrematum est in duplo componat", ac testimonio tituli V »sine compositione occidi potest", si in ipso scelere comprehensus sit. Capitulum secundum accuratius distinguit, quo animo domus sit incensa, ac iubet incendiarium »novies componere", qui crimen eo consilio commisit, ut hac occasione possessorem domus incensae occideret. Ius capituli secundi recentioris esse originis clarum est, quod confirmant capitulo adiecta verba: *haec constitutio ex edicto regis processit;* neque dubitem, quin rex laudatus sit Karolus Magnus, qui Frisia orientali et Saxonia devicto, compluribus in casibus weregelda et freda novies sumenda instituerit, vide praefat. p. XXXIV.

[73] In Frisia media weregeldum novies sumptum familiae occisi erat solvendum, in Frisia orientali autem regi, et quidem, ut videtur, loco poenae capitalis, conf Wilda p. 103 et notam 49 ad titul. III.

[74] Titulus VIII ad Frisiam mediam pertinet, exceptis verbis,

quae fini tituli de iure Frisiae orientalis sunt addita. De eodem iure Frisiae orientalis fusius agunt capitula quaedam de iure rapinae violentae addita fini tituli IX cap. 14—17, ad titulum VIII autem referenda. Et titulo IX Additionis leg. Fris. ius, quod in Frisia media vigebat, mutatum est. De tempore, quo hae legis partes sint constitutae, coniiciam titulum VIII, exclusis verbis tituli extremis, quae litteris cursivis imprimi feci, antiquissimae legis Frisicae fuisse; verba autem in fine tituli VIII posita, et capitula 14—17 tituli IX de iure Frisiae orientalis, iudicem anno 785 legi Frisionum antiquissimae adscripta esse, et titulum IX Additionis Sapientum de iure Frisiae mediae anno 802. Ex iure Frisiae mediae, secundum titulum VIII, is qui vim i. e. rapinam violentam, faciat, duplex rei pretium reddat et 12 solidos loco fredae; ex iure Frisiae orientalis vero secundum IX, 14 leg. Fris. simplex reddat pretium, 24 solidos »pro facti scelere", et weregeldum suum loco fredae; ex iure tandem Frisiae mediae recentiore, quod definiunt verba tituli IX Add. l. Fris. *vis aut furtum in duplo componitur, et ad freda weregildum*, pretium duplex rei ablatae est reddendum, et weregeldum loco fredae.

[75] Verbum *notnumfti* est Frisicum occidentale, neque ullo modo dialecto Frisiae orientalis et mediae congruit. Vox *not* (necessitas) scripta est in dialecto Frisica transflevana *ned*, in Anglosax. *nead*, *neod*, *nyd*, Island. *noud*, Saxon. vet. *nod*, Schmeller Gloss. p. 84, Nederland. med. *noot*, Maerlant Spiegel II. p. 115 v. 69, et *noet*, Melis Stoke VIII. v. 151. 164. IX. v. 219 etc., in theot. sup. vet. *not*. Vox *numfti* prorsus est aliena dialecto Anglosaxonicae et dialecto Frisiae mediae et orientalis, eadem utuntur dialecti sequentes: theot. sup. vet. *numfti*, *numft*, *numst* Graff II. p. 1073, theot. sup. med. *numft*, *nunft*, theot. inf. med. *numft*, *nunft*, *nuht* Grimm Gr. II. p. 204, theot. sup. rec. *numft*, *nunft*, Nederland. rec. *nuft*, etiam usitatum in dial. Clivensi saeculi XV. atque in dialecto Brabantina, vide Teuthonista et Kilian. Vox composita *not-numfti* vel *notnumft* occurrit in dial. theot. sup. vet. Graff II. p. 1077, in theot. sup. med. *notnumft* Müller II. p. 372, in theot. inf. med. *notnumft* Sachsensp. ed. Homeyer III, 1. § 1. I, 43; eadem exprimit tempore vetere rapinam violentam, ut docet titulus VIII leg. Fris.; verbum *not* est vis, necessitas, et *numft* (assumptio) formatum ex verbo *niman* (sumere). Voci compositae *not-numfti* in dial. theot. sup. vet. adiuncta est vox *not-nama* Graff II. p. 1073, et utraque dicitur rapina; posteriore demum tempore vox *notnumft*

aeque ac vox Frisica *ned-mond*, sensum specialem accepit stupri violenti, vide Graff II. p. 1077, Schmeller Baier. Wb. II. p. 694; Müller II, p. 372 et Richthofen Fries. Wb. p. 946. De vi ac significatione iuris Germanici in doctrina »de notnumfti" fusius disputaverunt: Wilda Strafr. p. 831 et I. Grimm in dissertatione spec. de notnumft in Reyscher et Wilda Zeitschr. V. p. 1 sq.

[76] His cum verbis conferenda sunt capitula 14—17 tituli IX, vide not. 74 ad tit. VIII. Pluries secundum legem Frisionum in Frisia orientali weregeldum regi est solvendum loco fredi, in Frisia media in 12 solidos computati, vide l. Fris. tit. IX, 14—16. tit. XXI, et conf. not. 49 ad tit. III.

[77] Verba *et pro freda weregildum suum* in editione Heroldiana locum tenent capituli secundi.

[78] Titulum IX ad Frisiam mediam spectare confirmant muletae in capitulis 10—13 eiusdem commemoratae, conf. not. 81; quae autem sunt adiecta in titulo XIII legis Fris. ad capitulum 3 tituli IX, obtinent titulum nonum partem fuisse legis Frisicae vetustissimae. Nulla in lege Germanica ita copiose de stupro disseritur, quam in lege Frisionum, et mulctae stupri ita fastidiose distinguuntur, conf. leg. Aelfr. cap. XI § 3 ed. Schmid p. 79 et Wilda Strafr. p. 816. Neque tamen hanc ob rem coniicere licet, titulum nonum legis Frisicae posteriore tempore legi esse adiectum, multi enim loci legis vetustissimae de rebus minutis, inprimis autem de mulctis pusillis, verba faciunt plurima, vide notam 20 ad tit. II leg. Fris. et titulum XXII. Quae aliae leges Germanicae proponunt de iure hoc in titulo legis Fris. tractato, collegit Wilda Strafr. p. 830. 847.

[79] Nomen substantivum *farlegani* (stuprum), titulo IX legis Frisionum inscriptum, non usitatum est in libris de iure Frisiae orientalis et mediae saeculo XIII. et XIV. scriptis; occurrit nobis in glossis theot. sup. saeculi IX. et X., ubi scriptum est *varlegani*, *vorlegani* (stuprum) Graff II. p. 88, et in legibus Anglosaxonicis Aelfridi regis c. 10 *forlegene*, conf. Schmid p. 76. Verbo *lega*, ex quo nomen substantivum *far-legani* formatum est, libri de iure Frisico transflevano recentiores non utuntur, ut eo exprimant coniunctiones inter mares et feminas, vide verba Fris. *hor*, *overhor*, *aft*, *afte* in Fries. Wb. p. 589. 590. 826; in dialecto theot. sup. vet. invenitur *farligan*, et in dial. Anglosaxon. *forligcan* (moechari).

[80] Quae capitulum 3 dicit de ancilla domini stuprata, aucta vel emendata sunt titulo XIII legis Fris. Primo loco edictum est,

ut domino ancillae cuiusdam vitiatae solidi sint dandi 4, hoc vero ter quatuor solidi, si ancilla non sit pecuaria sed domestica. De mulcta 4 solidorum conf. not. 47 ad tit. III c. 7.

[81] *Si lita fuerit* 10 *solidos* cap. 10 et 13, *si libera*..20 *solidos* cap. 11, *si nobilis*..30 *solidos* cap. 12; numeri 10, 20, 30 respondent weregeldis hominum litorum, liberorum et nobilium in Frisia media; adnotare autem velim mulctam 20 solidorum, ex qua mulctae 10 et 30 solidorum sint formatae, in lege Frisionum esse inusitatam; aliae leges Germanicae mulctam 10 solidorum saepe usurpant, vide Wilda Strafr. p. 358.

[82] Capitula 14—17 tituli IX addita sunt ad titulum VIII vide not. 74 ad tit. VIII.

[83] Loco 24 solidorum, qui homini libero solvuntur auctoritate capitulorum 15 et 16, homini nobili (in Frisia orientali duobus liberis exaequato) 48 solidi, homini lito (in Frisia orientali libero dimidio exaequato) 12 solidi erant solvendi. In Frisia media duplex pretium rei ablatae reddendum erat, in Frisia orientali simplex pretium et 24 solidi; ex eo efficitur, ut viginti quatuor solidi laudati in Frisia orientali locum tenuerint pretii secundi, quod in Frisia media homini solvebatur, cui res quaedam erat vi ablata. Textus legis dicit: 24 *solidos pro facti scelere componat*, neque tamen vis mulctae ea est fredae; mulctam illam recepit laesus, fredam vero rex. Verba suprema tituli VIII mulctam 24 solidorum silentio transeunt, eam autem in iure Frisico orientali infuisse, capitula 14 et 15 tituli IX demonstrant.

[84] *Medietate maior compositio*, i. e. compositio duplex, et *medietate minor compositio*, i. e. compositio dimidia.

[85] *Pro weregeldo servi* 4 *solidos componat*, i. e. loco weregeldi, servo enim occiso in Frisia media eiusdem domino nullum weregeldum dissolvebatur; de mulcta illa 4 solidorum vide not. 47 ad tit. III, 7. De » denariis 12" conf. not. 25 ad tit. XVI.

[86] Titulum X ad Frisiam mediam pertinere, docent verba tituli: *homo periurus manum suam weregildo redimat.* Ex iure Frisiae orientalis »60 solidis manus redimebatur", vide titulum III, 9; ex iure Frisiae occidentalis, iuri Frisiae mediae consentaneo, weregeldum loco sexaginta solidorum solvebatur, vide titul. XIV. cap. 3.

[87] Sub voce testes hoc loco et testes proprie sic dicti, et coniuratores intelliguntur, vide Homeyer Richtsteig, Berlin 1857 p. 462, cf. voc. Fris. *tiuga* in Fries. Wb. p. 1087.

[88] Homo periurus duo ex lege Frisionum solvat regi were-

gelda: unum loco fredi, aliud quo manum redimat, quam iuramento falso perdiderat; conf. leg. Sax. II, 8. 9 (ed. Merkel p. 21, 22): *qui sciens periuraverit, capite puniatur; et qui nesciens periuraverit, manum suam redimat*, et Capitular. Langobard. a. 779 c. 10: *si quis periurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat, nisi manum perdat*, Mon. Germ. LL. I. p. 37. De origine weregeldi loco fredi in Frisia soluti vide not. 49 ad tit. III; poenas eorum, qui periuria fecerint, ex iure regum Francorum collegit Wilda Strafr. p. 983.

[89] Hoc legis praeceptum laudatur in titulo XIV. cap. 3, quem locum posteriore tempore legi Frisionum adscriptum censeo.

[90] De hominibus ordinis litonici vide leg. Fris. tit. I—III. VI. IX. XI. XX et Add. III, 73; de iure autem quo liti saeculi XIII. in Frisia media et orientali utebantur, Fries. Wb. p. 894, 896 sub vocibus *let* et *letslachte*. De verbo *letus* conf. Müllenhof ad Waitz R. der Sal. Fr. p. 288.

[91] Her. *litis;* Lindenbrog em. *liti*.

[92] Conf. ad cap. 2 leg. Rip. tit. 57.

[93] Her. *quorū;* ex *quot* depravatum esse videtur; Lindenbrog emend. *quanti*.

[94] In editione Heroldiana verba quae sequuntur locum capituli tertii obtinent, eadem autem partem esse capituli secundi, verbis tituli extremis confirmatur, quae dicunt: *hoc et superiori* (i. e. primo) *capitulo constitutum est*.

[95] Conf. not. 94.

[96] Censeam titulum XII posteriore tempore titulo III c. 5 et 6 additum esse, et ni fallor anno 785: in titulo III, 5. 6 de genere probandi disseritur, si servus furtum fecerit, in titulo XII, si servus furtum fecerit et noxam nocuerit, vel ut titulus est inscriptus *de delicto servorum*. Titulus XII ex mea opinione non emendat ius furti, titulo III, 5, 6 constitutum; sed eo animo legi Frisicae additus est, ut ius noxae iuri furti exaequaretur; neque multum tribuere velim silentio, quo titulus XII praeterit *iudicium Dei in aqua ferventi*, in titulo III, 6 commemoratum, et verbis tituli XII *in vestimento vel pecunia iurare*, quae loco verborum *in vestimento iurare* tituli III, 5 sint posita.

[97] Quid sibi velit »iuramentum in vestimento", in nota 44 ad titulum III exposui; in verbis tituli XII *in vestimento vel pecunia iurare* iuramentum in pecunia dictum »iuramento in vestimento" aequatur. Siccama ad locum legis adnotavit: *in pecunia iurabat ita, ut prolato nummo solido vel denario, in qua*

vultus regis vel crux effigiata, ei manum imponeret atque ita, quasi teste rege vel cruce iuraret. Certum mihi est, dominos servorum iuramentum laudatum iurasse super pecuniam, ut cum Siccama etiam docuit I. Grimm RA p. 907, et sententiam Siegelii Deutsches Gerichtsv. I. p. 230 impugnem, qui non dubitat, quin iuramentum in pecunia legis Frisicae transferat vocem *fia-eth* iuris recentioris Frisici, quem quidem non super pecuniam fuisse iuratum Siegelio consentiente, explicavi in Fries. Wb. p. 737.

[98] Titulum XIII posteriore tempore capitulo 3 tituli IX legis Fris. adiunctum esse, exposui in not. 80 ad titulum IX.

[99] Vocibus legis *ancilla quae mulgere ac molere solet*, ancilla definitur pecuaria; iisdem fere verbis utuntur leges Frisicae saeculi XIII.: *hwersa en mon wif nime to ku and querna* (i. e. in usum vaccae et molae), Fries. Rechtsq. p. 101, 1. Ancillae pecuariae opponitur ancilla familiaris, i. e. *bortmagad.* Forma vocis Frisicae cisflevanae sermoni Frisiae orientalis et mediae est aliena. Verbum *bort* scribitur in dialecto Anglosax. *bord* (margo, tabula, mensa, navis), in dial. rec. Fris. orient. et med. *bord* (latera navis, tabula), Fries. Wb. p. 662, in dial. poem. Heliand 90, 4. 91, 3 *bord skipes*, in dial. Nederland. med. *bord*, in theot. sup. vet. *bort*, Graff III. p. 213. *Magad:* in dial. Anglosax. *maegd*, in dial. Fris. orient. rec. *megith*, *megeth*, in dial. Fris. med. rec. *maged*, Fries. Wb. p. 917, in dial. poem. Heliand *magad*, *magat*, in dial. theot. sup. vet. *magad*, *maged*, Graff II. p. 630, in dial. theot. sup. med. *maget*, *meit*, in dial. Nederl. med. *maget.* Vox composita *bort-magad* transferenda est ad verbum *tisch-magd* (ancilla mensalis), i. e. ancilla quae cibos in mensam domini apponit eosque parat, ancilla domestica. Vocem *bord* domum significare, ut censent Wierdsma Oude Fr. Wett. pag. 40 et Graff III. p. 212, me fugit.

[1] De mulcta 12 solidorum vide not. 80 ad tit. IX.

[2] Titulo XIV statuitur modus probandi contra eum, qui hominem in turbis quibusdam occiderit, et quidem plane diversus in usum trium Frisiae partium. In Frisia media sors facit momentum probationis, vide cap. 1 et 2; in Frisia occidentali iudicium Dei, vide cap. 3; in Frisia orientali duellum, vide cap. 4-7. Verba autem extrema capituli secundi omnibus prorsus persuadeant, capitula 3—7 ad capitula 1 et 2 posteriore tempore addita esse; et censeam capitula 1 et 2 partem legis antiquissimae Frisicae fecisse, iisque anno 785 capitula 3—7 adscripta esse. Vide capitulum 16 legis Sax. ed. Merkel: *Si in turba vel seditione fuerit occisus;* confer. etiam capitulum 18 l. Sax. cum l. Fris.

II, c. 19 l. Sax. cum l. Fris. XX, 2, cap. 20 l. Sax. cum l. Fris. XXI, cap. 21 et 22 l. Sax. cum l. Fris. X et XVII, 2. Ex Merkelii sententia cap. 1—23 leg. Sax. anno 782 condita sunt; coniicere velim eadem anno 785 scripta esse, quo anno, ut opinor, altera pars legis Frisicae lata est.

[3] Numerus eorum quos capitis accusare permissum esset, ut in capitulo primo tituli nostri, in loco quodam iuris Frisici recentioris (Fries. Rechtsq. p. 412, 32) in septem est constitutus, quod bene adnotavit vir doctissimus P. Wierdsma Oude Friesche Wetten, Leeuwarden 1782. p. 277. De praeceptis legum Germanicarum, quae Frisicis tituli XIII sint finitima, conf. Wilda p. 621.

[3a] Her. *mittedi.*

[4] De sortium consuetudine hoc in loco commemorata fusius disputaverunt: W. Grimm Deutsche Runen p. 298 sq., Müllenhof Zur Runenlehre 1852 p. 33 sq., Michelsen Die Hausmarke 1853 p. 14 et Homeyer Ueber das german. Loosen in Monatsber. der Berlin. Acad. Dec. 1853. Ad locum legis Frisionum inter omnes conferendus est locus in Taciti Germania cap. 10, et quae iura Germanorum septentrionalium de sortibus praescribunt, vide Homeyer l. l. p. 23. Sortitionis mentionem faciunt in Frisia vetustissima: Vita S. Willehadi c. 3, Mon. Germ. SS. II. p. 381 et vita S. Wulframi c. 6. 7. 8. ed. Mabillon Acta S. Bened. saec. III. p. 343; in Saxonia: Sidonius Apollinaris VIII, 6; Beda Hist. Eccl. V, 10. § 381 et Translat. S. Alexandri Mon. Germ. SS. II. p. 685.

[5] Linguam Latinam medii aevi voce *talus*, ex Graeco θάλλος formatum, pro talea (ramus arboris) uti, docet Du Cange.

[6] Herold *praecisae*; emend. *praecisi*, scilic. duo tali; *praecisae* ad sortes referre non liceat, conf. autem Homeyer l. l. pag. 5.

[7] *Sortes esse debent duo tali de virga praecisi, quos tenos vocant;* et: *faciat suam sortem, id est tenum, de virga.* Verbum *tenus* formatum ex voce Germanica *ten* (virgula), in libris Frisicis nobis non occurrit, scribitur autem in sermone Goth. *tains* (κλῆμα), Isl. *teinn* (bacillus, ferrum productum), Anglosax. *tan* (virga, verba Bedae *miserunt sortes* Anglosax. transferuntur *hluton mid tanum*); in dial. theot. inf. rec., in dial. Holland. et Brabant. rec. *teen* (vimen), Bremer Wb. V. p. 52 et Kilian p. 665; in dial. theot. sup. vet. *zain*, *zein* (virgula, calamus), Graff V. p. 672, dial. theot. sup. med. *zein*, Bavar. hodiern. *zain*, Schmeller IV. p. 264.

[8] Her. *inoscatur*, pro *inottatur*, i. e. innotatur; Lindenbrog emend. *dignoscatur*.

[9] *Signet signo suo*, i. e. signet signo suo usitato, apud Germanos recentiores *hauszeichen*, *hausmarke*, *hofmarke*, *bomaerke* dicto. Signis ita nominatis, notis runarum cognatis, fundorum possessores in Germania vetere res suas signare solebant, eorumque mentionem faciunt leges Germaniae vetustissimae, vide leg. Fris. XIV, 1, leg. Sal. XXXIII, 2 (conf. Addit. in Merkelii ed. l. Sal. p. 57, 28) et leg. Wisig. VIII, 6. § 1 et manufirmationes in Capitular. a. 803 c. 19, Mon. G. LL. I. p, 115. Quae de signis laudatis tempore recentiore sint collecta, adnotavit Homeyer anno 1857 in folio inscripto *Die Hausmarken;* adde dissertationem quam scripsit Dijkstra »Over Handmerken in Friesland" in »De Vrije Fries" Leeuwarden 1858, VIII. p. 255—268; Homeyer Über das Loosen pag. 29 commemorat, incolas insulae Föhr, Frisiae septentrionalis, eosque nonnullarum villarum in littore maris Baltici sitarum, more veterum signis, quae husmarken vocantur, sortium loco uti.

[9*] *Perfectorio sacramento se debet excusare*, l. Fris. XIV c. 2, verbum *perfectorium* in *purificatorium* emendandum esse censeo, conf. Ind. Rer. s. v. *perfectorius;* credam verbum *puri* in MS. Herold. per compendia scriptum fuisse, cf. Annot. 82 ad tit. III[a] Add. Sax. 35.

[10] Her. *sufficiciat*.

[11] Verba *Haec Lex...custoditur*, quae sunt referenda ad cap. 1 et 2 antecedentia, et verba *Caeterum inter* etc., quae spectant ad cap. 3, et tandem verba *De eadem re inter....talis est consuetudo*, quae pertinent ad cap. 4—7, manifesto et evidenter ostendunt, partem tituli XIV inde a vocibus *Haec Lex* usque ad finem, legi antiquissimae Frisionum posteriore tempore adscriptam esse.

[12] Her. *quii;* Lindenbrog emend. *qui in*.

[13] Conf. not. 88 ad tit. X.

[14] Locus laudatus legitur in titulo X.

[15] Cap. 4—7 pertinent ad Frisiam orientalem, reguo Francorum anno 785 subiectam, quamobrem negandum est, ea priore tempore scripta esse.

[16] Her. *debet*, Schotanus emend. *iubet*, Gaupp emend. *debere*.

[17] *Producat hominem*, et *iuret..tenens eum per oram sagi sui*. Eodem modo dicitur in Speculo Saxon. I, 63: *swe kampliken grüten wille enen sinen genot,.., dat he sik sin under-*

winden sole bime hovetgate (lect. var. manuscriptor. in dialect. theot. sup. *hovetloche*) i. e. limbo collario, vide Müller Wörterb. I. p. 1024, conf. I. Grimm. RA. p. 159 nr. 2.

[18] 60 *solidos, id est libras* 3; cf. tit. XV, 1 l. Fris. Loco 25 solidorum, qui tempore vetere, vel 22 solidorum, qui tempore Pippini regis ex argenti libra signabantur, Karolus M. et quidem anno 779 (ut Guérard putat, cui Müller Münzgesch. I. p. 309 et Waitz Verf. G. IV. p. 70 assentiunt) constituerat, ut ex libra 20 solidi signarentur, vide Cap. a. 779 Mon. G. LL. I. p. 40, cap. 9 a. inc., ibid p. 41, et cap. 19 a. 805 ibid. p. 134; quo firmatur sententia mea, capitula 4—7 tituli XIV post annum 785 scripta esse.

[19] Ad praeceptum tituli V l. Fris. *campiones sine compositione occidi possunt*, additum est in capitulo septimo tit. XIV, in Frisia orientali bannum regium 60 solidorum (de quo in nota 50 ad tit. III verba feci) regi solvendum esse, »si campio occisus fuerit", ab eo »qui campionem mercede conduxerat". »Insuper", ut verba extrema capituli 7 dicunt, is qui campionem conduxerat, »leudem occisi hominis exsolvat"; sub »homine occiso" hoc loco intelligendus est homo in turbis occisus, neque autem pugil occisus, ut putant viri docti Budde Ueber Rechtlosigkeit p. 54 et Walter Deutsche Rechtsgeschichte § 669. Ipsa morte pugilis is, qui eum mercede conduxerat, occisionis in turbis occisi convictus est, quo efficitur, ut » leudem occisi hominis exsolvat". Ad pugilem occisum haec verba referri nequeunt; campionem sine compositione occidi posse", quod titulis V constituerat, titulo XIV nullo modo est emendatum.

[20] *Et hoc in eadem regione* (i. e. in Frisia orientali) *taliter observatur de compositionibus wergildi;* haec verba titulo XV inscripta demonstrant, eundem posteriore tempore legi Frisionum antiquissimae esse additum. Titulum non ante annum 785 scriptum esse id probat, quod ad Frisiam orientalem pertinet, anno dicto regno Francorum subiectam; ac weregelda in ipso constituta ex mea opinione confirmant eum ortum esse neque tempore legis antiquissimae, neque eo quo Additio Sapientum legi Frisionum addita sit, cuius conceptionem in anno 802 ponam.

[21] Her. *De compositionibus wergildo*, emendo *de compositionibus wergildi*. conf.: *componat ad partem regis weregildum suum* IX, 1, *in fredam novies componit weregildum* VII, 2, *novem weregildos componat* XX, 2, *tertiam partem leudis componat* III, 1. Quaeritur autem, utrum *wergildi* emendatio sit vera, an omnis vox *wergildo* sit delenda. In titulo XV vox

compositio simplex eo sensu nobis occurrit, ut significet weregeldum, neque alius legis locus verbis *compositio weregildi* utitur; praeterea adnotem formam *wergildo* pro *weregildo* hoc tantum in legis capitulo usitatam.

[22] Weregeldum hominis nobilis aestimatur »11 libris per veteres denarios", i. e. 220 solidis, hominis liberi $5\frac{1}{2}$ libris, i. e. 110 solidis, liti 2 libris et 9 unciis, i. e. 55 solidis, servi 1 librae et $4\frac{1}{2}$ unciis, i. e. $27\frac{1}{2}$ solidis. Weregelda quatuor ordinum dictorum in Frisia orientali ex titulo XV ita se habent: 220, 110, 55, $27\frac{1}{2}$ solidi; qui numeri eandem describunt proportionem, quam repraesentant weregelda, quibus ordines dicti in Frisia orientali ex titulo I legis Frisionum utebantur. Omnibus in Germaniae legibus medii aevi weregeldum hominis liberi est fundamentum, et ut ita dicam basis, weregeldorum quibus homines diversi sunt aestimati. Weregeldum hominis liberi ex titulo XV in Frisia orientali computabatur in 110 solidos, quod quidem duplicatum reddebat weregeldum hominis nobilis, dimidiatum autem weregeldum liti vel duorum servorum. Weregeldum hominis liberi ex capitulo 10 tituli I leg. Frisicae in Frisia orientali in $50 + 3\frac{1}{3}$ solidos erat constitutum; ex quo quidem numero weregelda nobilis, liti et servi, duplicando et dimidiando eodem modo ut in titulo XV, erant formata. Quae quum ita sint, coniicere liceat, weregeldum 110 solidorum, quod ex titulo XV legis homini libero in Frisia orientali erat attributum, weregeldum esse duplicatum weregeldi 50 et $3\frac{1}{3}$ solidorum (vel 150 + 10 denariorum Frisicorum), quo homo liber Frisiae orientalis utebatur ex titulo primo legis, additione vero $3\frac{1}{3}$ solidorum (vel 10 denariorum Frisicorum) auctum. Additio dicta $3\frac{1}{3}$ solidorum, i. e. 10 denariorum Frisicorum, in weregeldo legis Frisionum vetustissimo vel adiicitur vel omittitur, ita ut weregeldum illud aut in 50, aut in $53\frac{1}{3}$ solidos computetur, vide not. 12 ad titul. I. legis Fris.; neque dubitare velim, quin weregeldum novem 110 solidorum sit constitutum duplicatione weregeldi veteris, quod iam longi temporis usu in $53\frac{1}{3}$ solidos erat definitum, et additione denuo facta illorum $3\frac{1}{3}$ solidorum. Ex mea sententia weregeldum vetustissimum Frisionum Additione legis Frisionum est triplicatum, ac tempore quodam medio, quod quidem intererat inter illud tempus quo weregeldum Additione legis triplicabatur, atque illud quo simpliciter solvebatur, duplici weregeldo usi sunt Frisiones orientales, quod, ut ita dicam, weregeldum medium cognoscam in weregeldo, quod in titulo XV legis Frisicae nobis est traditum. Omnes hae quidem coniecturae, ni fallor, con-

sentiunt: titulus XV, qui pertinet ad Frisiam orientalem, neque ac tituli laudati additus est legi Frisionum vetustissimae, neque ante annum 785 p. Chr., quo Frisia orientalis regno Francorum subiiciebatur; tempore autem quo reges Francorum subiectionem Frisiae orientalis finierant, edicta quaedam de iure Frisionum publicaverunt, vide tit. VII, ac weregeldum certum Frisiae orientalis constituerunt, quod duplici weregeldo vetustissimo Frisiae mediae exaequaverunt.

[23] *De libris per veteres denarios*, cf. praef. leg. Fris. p. XXXIX et not. 18 p. 59.

[24] Cap. 4 tit. XV confirmatur, tit. XV ad Frisiam orientalem esse referendum ut dictum est in inscriptone tituli; duobus enim in aliis Frisiae partibus nullum weregeldum servo erat constitutum, vide tit. I. c. 12.

[25] Mihi persuasum est, titulum XVI legi Frisionum vetustissimae posteriore tempore additum esse. Verba quae sunt titulo inscripta *inter Laubachi et Sincfalam de fredo* dicunt titulum XVI ad Frisiam mediam et occidentalem, neque ad Frisiam orientalem pertinere; unde intelligitur eadem nullam fecisse partem legis Frisionum vetustissimae, quae nonnisi in usum Frisiae mediae esset concepta. Haud aliter verba tituli extrema *qui solidus tribus denariis constat* textui legis vetustissimae non sint adnumeranda; huic enim legi, ad Frisiam mediam pertinenti, non erat occasio data, ut solidorum divisionem commemoraret, quum in Frisia media nulli essent solidi nisi trium denariorum. Aliter res sese habuit in locis ad Frisiam orientalem et occidentalem pertinentibus; his enim in terris, teste Add. leg. III, 73, solidi in 2 et in 2½ denarios erant divisi, et dicit cap. 17 titulo IX leg. Fris. additum, solidum legis Frisionum tribus denariis esse solvendum his quoque in terris; cf. etiam not. 13. p. 41, vide tamen VIII, 1. IX, 3. 11 l. Fris.

[26] De fredo vel freda conf. not. 41 ad tit. III. Titulus XVI testatur, homicidam ex lege Frisionum non tantum weregeldum solvisse, quod quidem heredes occisi acceperunt, sed etiam mulctam quandam, » quae ad partem dominicam pro freda [i. e. pace] componeretur''. Verba tituli autem dicunt, summam mulctae laudatae, quam ipsam Frisiones appellaverunt fredam vel fredum. i. e. poenam pacis fractae, 30 solidos explevisse. Ex titulo I, 1 Additionis leg. Fris. iidem 30 solidi novies erant sumendi, si faidosus in pace quadam maiore occideretur. Praeter fredum 30 solid. legem Frisionum legenti occurrit fredum minus 12 solid., quod solvendum erat commissis levioribus quibusdam delictis,

vide leg. Fris. XVII, 4. Add. I, 2 etc.; et summum fredum, quod exaequabatur weregeldo, et locum tenet noxae capitalis, quam occisor meruerat, vide l. Fris. XVII, 4. 5 etc.

[27] Titulus XVII inscriptus *hic bannus est*, casus nonnullos enumerat, in quibus fredae et mulctae banno, id est edicto regis speciali, sint auctae; quaedam earum novies sumptae monstrare videntur, titulum posterioris esse originis, et quidem, ut censeam anni 785, vide praef. p. XXXV. Bannus est verbum Germanicum *ban* (mandatum), quod scribitur in dialecto recentiore Frisiae orientalis *bon*, in dial. Frisiae mediae *ban*, conf. Fries. Wörterb. p. 658; in dial. Sax. vet. *ban*, conf. Heliand; in dial. theot. sup. vet. *pan*, *ban*; lex Salica 49, 3 utitur verbo *fer-banniti*, vide Müllenhof ad Waitz Sal. R. p. 282 et Grimm RA. p. 732. 844. De voce *bannus*, quae in titulo XVII legis Fris. non describit bannum regium 60 solidorum, in Frisia orientali in titulo III, 8. 9 et XIV, 7 leg. Fris. commemoratum latius dicunt: Woringen p. 164, Wilda p. 469 et Waitz II. p. 537. III. p. 276.

[28] Capitulo primo tituli XVII constitutum est, ut mulctam poenam pacis novies sumptam exsolvat, qui in exercitu congregato delictum commiserit. Fredum novies sumptum ita explico, ut significet fredum 9 × 30 solidorum aut 9 × 12 solidorum, vide titulum XVI leg. et I, 1. 2 Add. De iure, quod aliae Germanorum leges de pace in exercitu servanda habent, vide leg. Sal. 63, 1, leg. Sax. V, 1, leg. Alam. 27, leg. Bai. II, 4. § 1 et Wilda p. 238. In legibus recentioribus Frisiae orientalis et mediae, nomen *hiri-fretho* vel *her-ferd*, non indicat pacem in exercitu, sed pacem populi, vide Fries. Wb. p. 816. Titulus XVII legis Fris. nullam facit mentionem pacis, quam habebant homines in iudiciis vel placitis, *thing-fretho* vel *ding-ferde* dictae in iure Frisico recentiore, vide Fries. Wb. p. 1074. Eam in Frisia vetustissima non defuisse, perspicuum est, conferas tit. I. c. 1 Additionis leg. Fris. de pace speciali, *quam habet faidosus ad placitum eundo, vel de placito redeundo*, et vide leg. Sal. XIV, 4 (ed. Merkel) et Wilda p. 233, 239.

[29] *In curte ducis*, conf. leg. Bai. II, 13: *si quis infra curtem ducis aliquid inviolaverit, quia ducis domus publica est, trim niungeldum componet*, et leg. Alam. 31. Vide Wilda p. 260.

[30] Certum mihi est, ducem hoc in titulo laudatum non fuisse principem vel regem Frisionum, qui regnasset in Frisia regno Francorum nondum subiecta. Regem capituli 3 tituli XVII nullum esse nisi regem Francorum puto, ducem vero ministrum

regis Franconici; a rege et duce regis legati mittebantur in pagos Frisiae, vide cap. 3; curtem ducis Franconici, in Frisia habitantis, commemorat capitulum 2 tit. XVII; de ducibus autem Frisiae, tempore Karoli Magni, verba feci in praefatione p. XXXVII.

31 » Si quis in ecclesia aut in atrio ecclesiae hominem occiderit", solvat heredibus occisi weregeldum eius novies sumptum, et regi fredum novies sumptum." Adde his verbis capitula 1 et 2 tituli I Add.: *homo faidosus pacem habeat in ecclesia.., ad ecclesiam eundo, de ecclesia redeundo..; qui hanc pacem effregerit, et hominem occiderit, novies* 30 *solidos componat, si vulneraverit, novies* 12 *solidos componat ad partem regis;* et conf. tit. V. leg. Fris.: *sine compositione occidi potest...qui fanum effregit*, et tit. XI Add.: *qui fanum effregerit, et ibi aliquid de sacris tulerit*, etc. Ex aliis legibus Germanicis afferam: cap. de part. Sax. a. 785 (?) c. 3; leg. Sax. ed. Merkel, § 21.; leg. Rip. LX, 8; leg. Alam. IV. Vide Wilda p. 248 et de iure Fris. recent., vocem *kerk-fretho* in Fries. Wb. p. 864.

33 *Legatum regis vel ducis*, conf. not. 30 p. 63, et Cap. Sax. a. 797 c. 7; leg. Sal. XIV, 4 (ed. Merkel); leg. Alam. XXX.

34 *Qui manu collecta hostiliter villam vel domum alterius circumdederit*, restituat possessori villae damnum duplum (vel simplex ex lege Frisiae orientalis) quod fecerit, et solvat regi weregeldum suum loco fredi; praeterea autem socii eius, » qui villam vel domum alterius circumdederit", solvant fredum 12 solidorum. Weregeldum loco poenae capitalis regi solutum esse demonstrat lex Sax. III, 4 (ed. Merkel 27): *qui hominem propter faidam in propria domo occiderit, capite puniatur.* Crimen, de quo titulus regis Frisionum verba facit, in iure Frisiae recentiore dictum est *hemsekenge*, conf. Fries. Wb. p. 796, et is » qui ceteros adduxit" nominatur *havding*, conf. Fries. Wb. p. 799. Vide de eodem crimine legem Thuring. X, 9 (ed. Merkel p. 10 lin. 5) et Edictum Rotharis 49, et conf. Wilda p. 620. 953. 956.

35 Her. *quo.*

36 Her. *vltra in;* Lindenbr. emend. *ultra.*

37 Verba *ultra Laubachi vero in simplo* cum verbis capituli antecedentibus maxime coniuncta, accedunt opinioni, capitulum quartum aeque atque omnem titulum XVII post annum 785 scriptam esse, quo Karolus M. Frisiam orientalem subiecit.

38 De venditione hominum liberorum » extra patriam" disputat titulus XXI legis Fris.; ius Frisionum concedit dominis

servos vendere intra et extra fines »patriae", neque tamen, ut verbis capituli 5 tituli XVI utar, »in paganas gentes", quod similiter interdictum est lege Alam. XXXVII et capitul. Karlom. a. 743 c. 3. Causam huius interdicti tradunt nobis verba epistolae XXV S. Bonifacii ed. Würdtwein: *hoc quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixisti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venundent mancipia*, Grimm Mythologie p. 39.

[39] Nulla est dubitatio, quin titulus XVIII scriptus sit post annum 785, quo Frisia orientalis hoc in titulo commemorata, regibus Francorum est subiecta, neque erant Frisiones orientales ante hunc annum religioni christianae addicti. Dies dominicas religiose habendas decernunt capitularia regum Francorum quae addicuntur annis 554. c. 1 in Mon. Germ. LL. I. p. 1, a. 596. c. 14. ibid. p. 10, a. 755. c. 14. p. 26, a. 789. c. 80. p. 66; maxime cum titulo legis Frisionum congruunt, quae in lege Baiuwariorum VI, 2 et in lege Alamannorum XXXVIII leguntur.

[40] *Quatuor solidos culpabilis iudicetur*, conf. in leg. Fris. XXII, 65: *pro freda quatuor solidos ad partem regis.*

[41] Cfr. leg. Bai. VI, 2. § 3 et l. Alam. XXXVIII, 2.

[42] Cfr. leg. Fris. III, 7.

[43] Verbum parricidium exponit hoc in titulo legis Frisionum occisionem patris seu fratrum, aliis vero in legibus Germanicis eam omnium cognatorum proximorum. Magnam fuisse auctoritatem ecclesiae christianae in iis, quae leges Germanicae de parricidio constituunt, demonstrat vir doctus Wilda Strafr. p. 714; vide leg. Rip. LXIX. c. 2, leg. Alam. XL, Ed. Roth. 163, L. Luitprandi 17, l. Wisig. VI, 5. § 17. 19.

[44] Omnes leges Germanicae parricidam exheredant, maxime autem poenae differunt, quibus eum mulctant; in capitulo primo tituli XIX legis Fris. ita constitutum est, ut patris interfector sit exheres, in capitulo secundo autem, ut interfector fratris weregeldum occisi »proximo heredi" eius, hoc autem deficiente regi solvat. Censeam ex lege Frisionum patre interfecto etiam weregeldum ab interfectore solvendum fuisse, atque eum fratre occiso exheredatum fuisse. Cum lege Frisionum conferenda sunt capitula anni 803, quae in lege Salica mittenda sunt, in cap. 5: *si quis...aliquem de propinquis suis..occiderit, id est patrem, matrem, patruelem, avunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, moriatur* etc., Mon. Germ. LL. I. p. 113. Alio modo parricidium erat puniendum ex Capitular. a. 829. c. 2, M. G. LL. I. p. 353.

[45] Verba legis Fris. XIX, 2 *solvat fratrem occisum proximo heredi eius*, ita explanantur, ut proximi sint heredes fratris occisi: 1. liberi eiusdem, 2. parentes, 3. fratres et sorores; conf. Wasserschleben Princip der Successionsordnung, 1860. p. 43, et Homeyer Stellung des Sachsenspiegels zur Parentelenordnung, 1860. p. 6. 13, et vide Ed. Roth. c. 153, 1. Thuring. VI, 1. Sal. LIX (ed. Merkel), 1. Rip. LVI et 1. Wisig. IV, 2. § 1—3.

[46] Titulum XX posteriore tempore et quidem anno 785 legi Frisionum vetustissimae additum esse, censeo ratione habita weregeldorum novies sumptorum, quorum titulus mentionem facit, vide quae de hac re in Praefatione p. XXXV disputavi.

[47] Vis ac potestas mordriti, i. e. homicidii, in iure Germanico, est interfectio, qua finita corpus mortuum ab interfectore absconditum est, vide Wilda p. 706. Nomen substantivum, ex quo derivatum est verbum *mordrit-um*, scribitur in sermone Gothico *maurthr* (φόνος); in dialecto Anglosaxonica *morðr*, *morðer;* in dial. Angl. rec. *murther;* in dial. Sax. vet. *mordri* (in voce composita *mordri-tot*, qua utitur textus Tilianus legis Sax. II, 6 *mordri-toton);* in dial. Francor. vet. *si quis hominem in mordro occiderit*, lex ad Amor. c. 44 (ed. Gaupp c. 46); in dial. Flandriae a. 1240 *murdri-factio*, Warnkönig Flandr. II. P. 2. p. 73. Praeter hanc nominis substantivi formam alia nobis occurrit, in qua omissa est littera *r;* vide in dialecto Island. *morð, mord;* Anglosax *morð;* Sax. vet. *morth*, *morð*, vide Heliand (et *morð-dotum*, in codice manuscripto Corbeiensi legis Saxonum ed. Merkel. c. 19); in dialecto Frisiae orient. *morth;* in dialecto Frisiae mediae *mord*, vide Fries. Wb.; in dial. Fris. Seland. *mort*, vide diplom. a. 1256 Mieris I. p. 302; in dial. theot. sup. vet. *mort*, *mord*, Graff II. p. 856. Ex voce dicta *maurthr* derivatum est verbum Goth. *maurthrian* (φονεύειν), Anglosax. *myrðrian*, Angl. rec. *murder*, theot. sup. vet. *murdrian*, *murthrian* Graff II. p. 856, theot. sup. med. *morderon*, *murderon* Zarnke II. p. 224. Ex voce dicta *morth* derivatum est verbum in dialecto Island. scriptum *myrða*, *myrda;* in dialecto Frisiae orient. rec. *morthia;* in dial. Frisiae mediae rec. *mordia;* in dial. theot. sup. vet. *murthian*, *murdian* Graff II. p. 856; in dial. theot. sup. med. *mürden*, *morden* Zarnke II. p. 222. 223. De verbo autem *maurthrian* flexum est participium *murdrit*, conf.: *ita occisus quod ga-murdrit dicunt* in leg. Bai. XVIII, 2. § 3; *de homine mordrido* in leg. Rip. XV; *servum quem mordritum. triplicitер*, quod adscriptum est in cod. manuscripto ad Capi-

tular. a. 803, in Mon. G. LL. I. p. 118. n. 24; in dial. theot. sup. med. *er-mordert*, *er-morderet* Zarnke II. p. 224. Et loco nominis substantivi hoc participio utitur lex Fris. XX, *de mordrito*, et XX, 2: *quod mordritum vocant;* eademque ratione nobis occurrit in lege Rip. XV (ed. Herold): *quod dicitur mordridus*, et in lege Bai. XVIII, 2. § 1: *quod Baiovarii murdridam vocant* (var. lect. *mordrida*). Dicta satis demonstrant, formam vocis *mordritus* in lege Frisionum non eam esse, qua utitur sermo Frisiae orientalis et mediae; perspicuum est, eam proxime accedere ad formas Franconicas, quas attuli.

[48] *Novem weregildos componat.* Eodem modo sanctum est in lege Alam. Hlotharii c. 49, Mon. G. LL. III. p. 61 (in Pact. leg. Alam. c. 42. p. 37) et in lege Saxonum II, 6 (ed. Merkel c. 19), solvendum esse weregeldum novies sumptum; conferas etiam leg. Bai. XVIII, 2. § 3. Ex lege Salica XLI, 1 (ed. Merkel) atque ex lege Rip. XV (conf. ibid. tit. VII) »is qui mordritum fecit" weregeldum triplex solvat, attamen non novies sumptum.

[49] *Si negaverit cum 35 iuret.* Ex lege Frisionum is qui negat, se hominem occidisse, iuret cum undecim coniuratoribus se esse innocentem, aut solvat weregeldum simplex occisi; qui autem mordritum fecit, iuret cum 35 coniuratoribus, aut solvat novem weregelda occisi. Ex titulis 7 et 15 legis Ripuariorum is qui occisionis accusatus est, aut iuret cum undecim viris se esse innocentem, aut solvat weregeldum occisi; ille autem qui accusatus est »mordridi" aut iuret cum 71 coniuratoribus, aut solvat tria weregelda. Loci allati ostendunt, legem Frisicam constituisse ut weregeldum in occisione vulgari solutum, »in mordrito" novies sit solvendum, iusiurandum autem in occisione iuratum, »in mordrito" ter sit iurandum; legem contra Ripuariorum, ut »in mordrido" weregeldum ter sit sumptum, iusiurandum autem sexies. Quae quum ita sint, non probo opinionem viri docti Gaupp German. Abhandl. 1853, p. 15, qui ex iuramentis illis triginta sex [i. e. 3×12] et novem weregeldis [i. e. 3×3], quae praescripta sunt in titulo XX legis Frisicae, coniicit, tria weregelda soluta esse tempore illo, quo duodecim iuramenta iuris fuerunt, postea vero numerum utrumque [3 et 12] uno atque eodem tempore ter sumptum fuisse; ita ut tempore, quo tituli XX et I legis Frisionum promulgati sunt, iuris Frisici non fuisset weregeldum simplex sed ter sumptum. Equidem censeo, weregeldum simplex iuris Frisici fuisse tempore quo titulus primus legis Frisicae scriptus est, neque dubito, quin weregeldum Fri-

sicum in mordrito novies sumptum non sit introductum triplicatione illa weregeldorum Frisicorum, cuius mentionem facit Additio legis Frisionum, sed edicto illo regis in titulo VII legis Fris. commemorato. In Praefatione p. XXXV et p. XLII autem exposui, edictum commemoratum ex mea opinione anno 785 promulgatum, Additionem legis autem anno 802 sanctam esse.

[50] Conf. leg. Salicam XIII, 4 (ed. Merkel): *si puer regis vel letus ingenuam feminam traxerit, de vita componat*, et Cap. a. 757 c. 22: *si servus aut libertus incestum commiserit, vapuletur plagis multis*, Mon. G. LL. I. p. 29.

[51] Titulum XXI ad Frisiam mediam pertinere, verbis eius extremis demonstratur, quae autem cum antecedentibus ita cohaerent, ut coniici fortasse liceat, titulum omnem non fuisse legis Frisionum vetustissimae.

[52] De plagio iuris Germanici vide Wilda p. 797; de servis extra patriam venditis verba facit l. Fris. XVII, 5.

[53] Plagiarius solvat weregeldum »extra patriam venditi, ac si eum interfecisset"; quod legi Frisionum congruenter constituunt: l. Sal. XXXIX, 3. 4 (ed. Merkel et novel. nr. 115 et 226); l. Thur. VII, 5 (ed. Merkel tit. II de furtis c. 6. 7); l. Alam. Hlothar. XLVI; l. Bai. VIII, 4. § 2. XV, 5. § 3; l. Sax. II, 7 (ed. Merkel c. 20); in lege Ripuariorum XVI weregeldum triplex loco simplicis praescriptum est. Si venditus revertitur in patriam suam, plagiarius ex lege Frisionum solvat ei weregeldum duplex, et regi fredum 12 solidorum; loco weregeldi duplicis simplex weregeldum postulatum est in l. Ripuar. XVI, dimidium autem in l. Sal. XLI, 3 (ed. Merkel. nov. 115). in l. Saxon. II, 7 et l. Baiuw. VIII, 4. § 1. Conf. quae iura Frisica saeculi XIII in Friesische Rechtsq. pag. 22, 2. 48, 7. 70, 15 constituunt de Frisione in patriam revertente ex captivitate Nortmannorum, qui eum in servitutem traxerant.

[54] Fredus duodecim solidorum etiam secundum l. Thuringorum VII, 5 ab eo solvebatur, »qui hominem liberum infra patriam vendiderat". In Frisia orientali fredi loco weregeldum erat solvendum, quod illa in regione saepius factum esse demonstrant l. Fris. tit. VIII, 2 et IX, 14—16.

[55] Verba »ultra Laubachi etc." eo tempore scripta esse videntur, quo pars secunda legis Fris. condebatur, vide praefationem leg. Fris. p. XXXII et conf. not. 51.

[56] Titulum XXII legis Frisionum in usum Frisiae mediae scriptum esse, probatur »epilogo" tituli, conf. XXII, 90; eundem dico partem legis Frisicae vetustissimae, atque argumentum est

mihi et silentium, quo titulus verbosus Frisiam orientalem et occidentalem praeterit, et permultae illae tituli positiones, quae Additionis Sap. titulis II et IIIa sunt mutatae vel emendatae.

[57] Voce *dolg* (vulnus) utitur inscriptio tituli XXII legis Fris., et Additio Sap. III, 44 in verbo composito *cla-dolg*. Forma vocis est in dialecto Anglosaxonica *dolh*, *dolg;* in dial. Fris. orient. recentiore *dolch*, *dolg*, *dulg*, conf. Fries. Wörterb. p. 689; in dial. theot. super. vet. *tolc*, *tolg*, *dolg*, conf. Graff V. p. 420. In epilogo tituli XXII distinguuntur: »vulnera", »percussiones", »mancationes" et »omnia quae superius (i. e. in titulo XXII) scripta sunt"; quae verba ita explicanda sunt, ut inprimis significent »abscissiones" in capitulis 76 etc. tituli commemoratas; neque tamen titulus vulnera enumerans hanc eorum divisionem observat. Numerus cardinalis mulctarum, quas titulus proponit, est 12, ex quo numeri 24, 18, 6, 4, 2 sunt formati, vide Wilda p. 757.

[58] Homini libero, qui capitis percussione surdus et mutus fit, ex l. Fris. XXII, 1. 2 solvendi sunt 24 solidi; ei autem qui mutus neque tamen surdus, solidi 18; dicti solidi 24 capituli primi, originem ducunt ex duplicatione 12 solidorum, quibus auris abscissa mulctatur ex l. Fris. XXII, 9. Additione legis Fris. III, 8 hae positiones sunt emendatae: surdo et muto dantur ter $53\frac{1}{3}$ solidi, id est tria weregelda hominis liberi antiqua; muto: ter $26\frac{2}{3}$ solidi, i. e. tria weregelda dimidia. In iuro Frisico recentiore plurium pagorum muto solvitur weregeldum dimidium, conf. Fries. Rechtsq. p. 216, 8. 332, 36. Quod attinet ad ius aliarum regionum Germanicarum, conf. l. Alam. LX, 2 et l. Baiuwar. III. 20 cum l. Thuring. V, 11 et l. Saxon. I. 12; et vide Wilda pag. 766.

[59] Vocibus *per iram* conf. dictionem iuris Frisici recentioris *mith hasta hei and bi ira mode*, Fries. Wb. p. 803. 931. In verbis *si quis alium per iram percusserit*, atque in iis capituli 65 tituli XXII *si quis alium iratus per capillos comprehenderit*, vocibus *per iram* et *iratus* dicitur, hominem malo animo facinus perfecisse, vide Wilda p. 561; conf. capitula 68—70 tituli III Add. Sap., quae demonstrant, qua ratione ius Frisicum vetus respiciat voluntatem eius, qui delictum aliquod commisit.

[60] In capitulis singulis huius tituli in editione Heroldiana typis impressum est: *cōp*, *comp*, *compon*, *cōponat*, *componat*, *componatur;* et: *I* (*II*, etc.) *sol comp*, *solidum* (*solidos*) *componat*, *duobus* (*tribus*. etc.) *solidis componatur*.

[61] Conf, l. Sal. XVII, 7: *si quis alium de fuste percusserit, ut sanguis non exeat, usque tres colpos semper pro uno ictu 3 solidos culpabilis iudicetur; si vero sanguis exierit* etc.; l. Rip. XIX, 1: *si quis alium ictu percusserit, ut sanguis non exeat, usque tres colpos, quod nos dicimus bulislegi, componat..; si sanguinis effusionem fecerit* etc.; l. Alam. LIX, 1: *si quis alium per iram percusserit, quod Alamanni pulislac dicunt, 1 sol. componat; si autem sanguinem fuderit*, etc.; l. Bai. III, 1. § 1. Omnibus his in legibus ictus sanguinei opponuntur iis quibus sanguis non profluit, conf. Wilda p. 732; in legibus Ripuariorum et Alamannorum ictus incruenti dicuntur *puli-slegi*, i. e. theot. *beulen-schläge*, a voce Germanica *pula*, *pul* (beule, tuber, tumor), conf. Grimm Wb. I. p. 1745; neque differunt ab iis *dur-slegi* legis Fris., atque quae saepissime commemorantur in legibus Fris. recentioribus sub nomine *dust-slekan*, conf. Fries. Wörterb. p. 696, vel *dunst-slagen* in Flandria, conf. diploma a. 1208 in Warnkönig Flandr. Rechtsg. II. P. 2. Urk. p. 112 (ex orig.). Verbum Frisicum rec. *dust* plane idem censeo ac *dunst*, et formatum a voce theot. sup. vet. *dinsan* (trahere, partic. *dunsen*), ex quo derivatum est verbum Germ. *dunsen* (intumescere), ita ut *dust* vel *dunst* significet quod *pula* (tumor); conf. Grimm Wb. II. p 1179. 1558 et 1559, qui tamen aliter sentit. Sub *dur-slegi* legis Fris. autem intelligo ictus siccos, i. e. qui non sunt sanguinei, atque nominis partem primam dico vocem Germanicam *dürr* (siccus), quae scribitur in dial. theot. sup. vet. *durri*, *thurri*, Graff V. p. 200, in dial. Clivensi recent. *dor*, *dorre*, conf. Teutonista; in Saxonia vetere *thurri*, *thiori;* Anglosax. *þyrr;* Island. *þurr*. Hanc vocis interpretationem auctore I. Grimm in libro meo Fries. Wörterb. p. 696 falsam esse dixi, putans litteras vocis Frisicae *dur-slegi* tali interpretationi esse contrarias. Me autem ita scribentem fugit, voces Germanicas in lege Frisionum usitatas non esse dialecti, qua utebantur Frisiones inter Flevum et Wisaram habitantes, sed eius quae vigebat in Frisia occidentali inter Flevum et Sincfalam, et haud raro convenit dialectis terrarum in partem australi Frisiae sitarum, quod ipso in nomine *dur-slegi* verbum secundum probat. Vox enim Germanica *schlag* (ictus) scripta est in dialecto Fris. orient. recent. *slek*, *slech* (ictus), et in accusitavo plur. *sleka*, *sleken*, conf. Fries. Wörterb. p. 1037; in dial. theot. sup. vet. autem *slag*, *slach*, in accus. plur. *slegi*, *slege*, conf. Graff VI. p. 772; et in poemate Heliand vocato:

slag, *slegi*, conf Schmeller Gl. Sax. p. 99 et 173.

[62] Cap. 4 emendatum est capitulo 43 tit. III Additionis: *si tantum sanguinem dimiserit*, *ter solidum componat*. Conf. l. Sal. XVII, 6; l. Ripuar. XX; l. Thuring. III; l. Alam. LIX, 2; l. Baiuw. III, 1. § 2. Vulnus capituli 4 in iure Fris. recent. dictum est *blodelsa*, *blodresne* sive *blodrene*, conf. Fries. Wb. p. 654 et Wilda p. 731.

[63] Cap. 5. aeque atque cap. 3 non est emendatum Additione legis Fris.; conf. l. Sal. XVII, 3. 4; l. Alam. LIX, 3; l. Bai. III, 1. § 4—6; Ed. Rothar. 46. 47 et Wilda p. 738. Testa in iure Fris. recent. vocatur *breinponne* vel *breinkop*.

[64] Cap. 6 emendatum est capitulo 23 tit. III Additionis: *si quis alium in caput ita percusserit*, *ut testa perforetur*, *ter* 12 *solidos componat;* conf. in iure Fris. recent.: *thet haved thruch slein*, *thi truchkeme there breinponna* 12 *skillinga*, Fries. Rechtsq. p. 83, 23.

[65] Cap. 7 et 8 non sunt emendata Additione Sapientum. Membrana qua cerebrum continetur est *helibrede* (pia mater) iuris Fris. recentioris, conf. Fries. Wörterb. p. 804, et: *de helenbrede*, *dat is de hut*, *de aver dat bregen geit*, Fries. Rq. p. 84 note 1. De cerebro vulnerato in iure Fris. recent. vide Fries. Wb. p. 667 sub vocibus *brein*, *breindolch*, etc.

[66] Cap. 9 emendatum est capitulo 9 tit. III Additionis: *si auris ex toto abscissa fuerit*, *ter duodecim solidis componatur*, vide leg. Fris. XXII, 1 et conf. l. Sal. em. XXXI, 15 (ed. Merkel novel. 91); l. Alam. LX, 1—3; l. Rip. V, 1; l. Thur. V, 4; l. Bai. III, 19; l. Sax. I, 12. 16. In legibus pagorum Frisicorum recentioribus mulctae auris abscissae maxime inter se differunt: in Emisgonia duae aures abscissae tertia parte weregeldi mulctantur, una auris sexta parte, conf. Fries. Rechtsq. p. 217, 3; in Brokmannia auris abscissa quarta parte weregeldi mulctatur, conf. ibid. p. 177, 29; plurimis in terrae pagis non pars certa weregeldi est solvenda, sed pecuniae summa quaedam non uno modo destinata, vide Fries. Rechtsq. p. 86, 31 et conf. locos legum citatos in Fries. Wb. sub vocibus *are*, *arbote*, *arklef*, *arleppa*, *gristel* (cartilago).

[67] Cap. 10 *si nasum absciderit*, 24 *solidos componat*, i. e. bis 12 solidos, conf. not. 58 p. 69. Positio capituli decimi Additione Sap. III, 10 ita est emendata: *si nasus abscissus fuerit ter XX duos solidos et tremissem componat;* quo in loco verba *ter* 22⅓ *solidos* corrigenda sunt in *ter XXVI solidos et duos*

tremisses, i. e. ter weregeldum dimidium, conf. Add. III, 8. Ex iure Frisiae recentiore nasus abscissus in pagis terrae diversis weregeldo dimidio vel tertia aut quarta eiusdem parte mulctatur, vide Fries. Wörterb. p. 955 s. v. *nose*. De mulctis nasi perforati aliisque eiusdem vulnerationibus vide l. Fris. XXII, 16 atque ibidem adnotata. Conf. l. Sal. emend. XXXI, 14 (ed. Merkel novel. 91); l. Rip. V, 2; l. Thur. V, 4; l. Sax. I, 13; l. Alam. LX, 8—10; l. Bai. III, 17 et Wilda p. 764.

[68] In capitulis 11—13 mulctae trium rugarum in fronte ita constituuntur, ut laesio summae rugae in 2 solidos, mediae in 4 solidos, infimae in 2 solidos computetur; Additione Sap. III, 20. 21 hoc ita emendatur, ut quaelibet ruga »ter quatuor solidis componatur". Eodem modo in iure Fris. recentiore tres rugae frontis, vel *leseka*, varie mulctantur, vide Fries. Wörterb. p. 893.

[69] Cap. 14: *si supercilium inciderit*, 2 *solidis componat;* in Additione Sap. III, 15 scriptum est: *si supercilium in transversum praecisum fuerit*, *ter* 4 *solidis componatur*. De oculo vide l. Fris. XXII, 45.

[70] Cap. 15: *si palpebram, aut superiorem aut subteriorem, vulneraverit*, 2 *sol. comp.;* in Addit. III, 19: *si palpebra praecisa fuerit*, *ter* 4 *solidi componantur*. Conf. l. Alam. LX, 4; l. Bai. III, 2. § 23, et de iure Fris. recentiore locos legum allegatos in Fries. Wörterb. sub voc. *ag-bre*, *aghlid*, et *ag-hring*.

[71] Cap. 16: *si nasum transpunxerit*, 15 *solidis componat;* quo in loco mulcta 15 solidorum ita est illustranda, ut quilibet nasi paries exterior 6 solidis, cartilago autem laesa 3 solidis mulctaretur, vide ad capit. 18 adnotata. Quae in capitulo 16 leguntur, Additione Sap. III, 11—13 ita sunt emendata: *si nasus una parte perforatus fuerit*, *ter* 4 *sol. comp.; si et cartilago perforata fuerit*, *ter* 8 *sol. comp.; si etiam ex altera parte telum exierit*, *ita ut tria foramina facta sint*, *ter* 12 *solid. compon.;* et ius Frisiae occidentalis in Additione Sap. III, 63. 64 ita traditur: *si nasum transpunxerit*, *ter* 12 *solidos componat*, *si unam parietem* 6 *solidos*. De naso abscisso vide tit. XXII, 10.

[72] Capitulum 17: *si granonem ictu percussam praeciderit*, 2 *solidis comp.*, quod in Additione Sap. III, 17 emendatum est in: *si granones praecisi fuerint*, *ter* 4 *solid. componat*. De voce *grano* vel *granus* (barba, mystax) ex dialectis Germanicis in linguam Latinam medii aevi recepta vide Ducange; de eademque in lingua Hispan. et Francogall. vet. usitata Diez Wörterb. der Rom. Spr. Isidorus commemorat *granos et cinnabar*

Gothorum; in dial. theot. sup. vet. reperiuntur formae vocis: *grani*, *granen* (plur.) Graff IV. p. 327; in dial. theot. sup. med. *gran* (barbula superioris labii) Müller Wb. I. p. 565; Island. *grön* (barba). Legenti libros de iure Fris. orientali recentiore scriptos, vox nunquam occurrit, conf. Fries. Wörterb. s. v. *kenep* (in dial. theot. rec. *knebelbart*) et *berd*. Vide l. Alam. LX, 23. 24 et Wilda p. 778. De mulctis capillorum vide l. Fris. XXII, 65.

[73] Capitul. 18: *si maxillam inciderit*, 6 *solid. comp.*, conf. cap. 85: *qui maxillas utrasque cum lingua .. transfixerit*, 15 *solid. comp.*, quo in loco maxilla una in 6, lingua autem in 3 solidos computata est; de »lingua praecisa" vide Addit. Sap. III, 74. In capitulo 14 tituli III Additionis Sap. capitulum 18 legis Fris. ita est emendatum: *si maxilla perforata fuerit*, *ter* 4 *solid. comp.;* et in Additione Sap. III, 65 ius Frisiae occidentalis ita traditum est: *si unam maxillam transpunxerit*, 6 *solidos comp.* Ius Fris. recent. vide sub voc. *keke* et *kinbake* in Fries. Wörterb. p. 861. 869.

[74] Ex capitulis 19—21 dens anterior 2 solidis, dens angularis 3 solidis, dens molaris 4 solidis componatur; quae mulctae in capitulis 36—38 tituli III Additionis Sap. ita emendantur, ut omnes ter sint sumendae. De iure Fris. recent. vide voces *toth* vel *tusk*, *herntoth* vel *sleitoth*, et *kese* in Fries. Wörterb.; et conf. l. Sal. emendat. XXXI, 17 (ed. Merkel novel. 91); l. Alam. LX, 13—18; l. Bai. III, 1. § 24. 25; Ed. Rothar. c. 51. 52, et Wilda p. 770.

[75] Herold: *interioribus;* emend. *anterioribus*, quod editio Heroldiana in Add. Sap. III, 36 legit.

[76] Ex capitulo 22: *iugulum incisum* 4 *solidis componatur*, conf. in l. Alaman. LX, 22: *si collus transpunctus fuerit*, 6 *solid. comp.* De iure Fris. recent. conf. Fries. Wörterb. p. 1054 s. v. *strot-bolla* (i. e. *kehl-kopf* in dial. theot. rec.).

[77] In capitulo 23, quod legit Herold: *si costam transversam inciderit*, *duobus solidis componat*, loco verbi *duobus* scribendum est *duodecim*, auctoritate capituli 30 tituli III Additionis Sap., quod ius legis vetustissimae ita emendat, ut »ter 12 solidos componat" qui alium modo dicto percusserit. Costae laesiones diversae in capitulis 28—30 tituli III Additionis Sap. ita distinguuntur, ut costa incisa ter $1\frac{1}{2}$ solidis componatur, costa praecisa ter 3 solidis, et »si quis alium trans costam ita percusserit, ut vulnus ad interiora venerit, ter 12 solidos componat". Vide ius Fris. recent. sub voce *rib* in Fries. Wörterb.

p. 993, et conf. l. Sal. XVII, 5 ed. Merkel: *si intra costas vulnus intraverit, et usque ad intrania perveniat.., solid.* 30 *culpabilis iudicetur*, et l. Rip. IV.

[78] [In Corrigendis Richthofen addidit, loco 12 solidorum » 2 solidis" cum editione legis Herold. in tit. XXII esse legendum.]

[79] In capitulis 24—26 mulctae brachii fracti ita sunt constitutae: *si infra cubitum unum ossium confractum fuerit*, 6 *solid.*, *si utraque..* 12 *solid.*, *si brachium supra cubitum..* 12 *solid. componatur*, et in capitulo 84 additur: *si quis brachium transpunxerit*, 6 *solidos componat.* De iure Frisiae occidentalis in Additione Sap. III, 61. 62 ita dictum est: *si brachium sub cubito transpunxerit, ter* 3 *solid...*, *supra cubitum ter* 6 *solid. componat.* De brachio » iuxta scapulam abscisso" vide l. Fris. XXII, 77, et » si mancum pependerit" vide l. Fris. XXII, 78. De iure Fris. recent. conf. locos legum laudatos in Fries. Wörterb. sub vocibus *erm*, *axle*, *ermboga*, *ermskete*, *pipe* (tibia) et *skidel* (os brachii), et vide de iure aliarum regionum Germanicarum: l. Thur. V, 2; l. Alam. LXI et l. Bai. III, 2 § 15. 16.

[80] Capitulum 27 dicit, mulctam manus abscissae 45 solidorum esse; quam summam, in capitulo 62 pedi abscisso eodem modo adscriptam, faciunt partes manus ita aestimatae: pollex $13\frac{1}{3}$ solid., digitus index 7 solid., medius $6\frac{2}{3}$ solid., annularis 8 solid., minimus 6 solid., palma 4 solid. In Additione Sap. II, 2—5 quinque digiti in 45 solidos aestimati sunt ita: pollex $22\frac{1}{2}$ solid., digitus index 6 solid., medius $4\frac{1}{2}$, annularis 7 solid. (numerus VII enim scribendus est loco numeri XII, in edit. Heroldiana typis impressi), minimus 5 solid. Dictas autem quinque digitorum mulctas, eam palmae adnumerando quae est 4 solidorum, et 4 alios solidos, qui ex Additione Sap. II, 6 sunt solvendi » si manus abscissa terram cadens tetigerit", pervenimus ad summam 53 solidorum, quae uno tantum triente solidi differt a pretio manus abscissae, in Additione Sap. III, 1 in $53\frac{1}{3}$ solidos constituto; neque dubitem, quin $53\frac{1}{3}$ sit verus et rectus numerus, quia idem weregeldum hominis liberi antiquum tempore Additionis Sap. in Frisia triplicatum erat, atque ex lege Fris. XXII, 77 » brachium iuxta scapulam abscissum" $53\frac{1}{3}$ solidis mulctaretur. In iure Fris. recentiore manus abscissa weregeldo dimidio mulctatur, conf. Fries. Rechtsq. p. 120, 24. 537, 33. 136, 4. 177, 23. 220, 15. 331, 26 et locos legum citatos in Fries. Wb. sub vocibus: *hond*, *hondbled*, *hondbrede*, *hondwirst*, *finger* et *thuma;* idem manus abscissae pretium statutum est in lege Sal. XXIX ed. Merkel; in l. Rip. V,

4—7; l. Thur. V, 5. 8; l. Saxon. I. 14. 17—20, et in iure septentrionali, vide Wilda p. 762. 767. Aliae manus mulctae reperiuntur in l. Alam. LXII et l. Bai. III, 1. § 11—14. De poenis, quibus articuli digitorum in Frisia vetere mulctantur, conf. Addit. Sap. II, 7—9.

[81] Capitula 35—44 loquuntur »de humore ex vulnere decurrente, quem dicunt *liduwagi*", i. e. liquor articularis. Mulctae in iis propositae solvuntur, si liquor decurrit ex articulis singulis brachiorum, manuum et digitorum, et ab uno solido in quatuor solidos gradatim ascendunt; eaedem mulctae in pedibus solvuntur, ut in capitulo 64 tituli XXII constitutum est. Ius dictum autem capitulo 32 tituli III Additionis Sap. ita est emendatum, ut liquor articularis in omnibus articulis »ter quatuor solidis componatur". De eo quod hac in re iuris erat in Frisia tempore recentiore, vide Fries. Wörterb. p. 906 sub voce *lithwei;* quae vulneratio vocatur in iure Anglosaxonico *lið-seav: vund, þaet þaet liðseav utflove*, l. Aelfrid. c. 53 ed. Schmid p. 100.

[82] Vox *lidu-wagi*, in lege Frisionum XXII, 35 et Add. Sap. III, 32 scripta, ad verbum in dialectum theotiscam hodiernam conversa, est *glied-wogen* (articulares fluctus), vel ut hodierno tempore dicimus *glied-wasser*. Vox *lid* (membrum) scribitur in dial. theot. sup. vet. *lid*, perraro *lith*, conf. Graff II. p. 189, in dial. poematis Heliand *lid*, *lidh*, *lith*, Schmeller Gloss. Sax. p. 72; in dial. Fris. transflevana recent. *lith*, *leth*, *lid*, *led* Fries. Wb. p. 905; Anglosax. *lið;* Island. *liðr*. Vox *wag* (fluctus) scribitur in dial. theot. sup. vet. et med. *wag*, *wac* Graff I. p. 663 et W. Müller Wb. III. p. 645; in dial. poematis Heliand *wag* Schmeller Gloss. Sax. p. 123; in dial. Fris. transflev. recent. *wei* (genit. *weges*) Fries. Wb. p. 1131 et 906; Anglosax. *vaeg*, *veg;* Island *vogr*. In verbo composito *lidu-wagi* legis Frisionum forma vocis *wagi* haud respondet dialecto Frisiae transflevanae; in libris, qui in eadem sunt scripti, leguntur formae *wega* vel *wegan*, *wegen* (undae), conf. Fries. Wb. p. 906; *wagi* (undae) eadem vocis est forma, qua utuntur libri scripti in dialecto theotisca superiore vetere, conf. Graff I. p. 663, ac respondet formae vocum quae eodem in casu inveniuntur in poemate Heliand, conf. Schmeller Gl. Sax. p. 173. Littera *u* in voce composita *lidu-wag* est vocalis, qua compositiones verborum plurimae in dialecto poematis Heliand formantur (verbi gratia: *lithu-bendi*, *lidu-wastom*, *godu-webbi*, *hagu-stald*, etc.), atque eadem loco litterae *a* frequentius occurrit legenti libros in dia-

lecto theotisca superiore vetere scriptos, conf. Grimm D. Grammatik II. p. 414. 418. In dialecto Frisiae transflevanae autem, aeque atque in dialecto Anglosaxonica, compositiones verborum finguntur nulla littera vocali adhibita, conf. exempli causa verbum Frisicum *lith-wei* et Anglosaxonicum *lið-seav.*

83 Capit. 44 iisdem fere verbis reddit, quae in capitulis 39 et 40 leguntur.

84 Capitula 45 et 46 constituunt, ut vulnerationes oculorum ita mulctentur: »si quis totum oculum eruerit, medietatem weregeldi componat", i. e. $26\frac{2}{3}$ solidos, »si oculum ita percusserit, ut eo ulterius videre non possit, $20\frac{2}{3}$ solidos". In Additione Sap. III, 47 autem statutum est: *si quis oculum excusserit, ter 40 solidos componat*, et III, 48: *si non oculum excusserit, sed pupillos, ter 20 solid. componat*, et III, 18: *si oculus ita percussus fuerit ut torqueatur, ter 4 solid. componat.* In Additione Sap. III, 59 tandem haec verba legimus: *Saxmundus dictavit* (ex iure Frisiae occidentalis) *oculum debere componi* (*ter*) 25 *solidis;* cf. ibid. adnotata. Omnibus his in locis laudatis quatuor oculorum vulnerationes sunt distinctae: *α.* totus oculus e cavo erutus; *β.* pupilla oculi eruta; *γ.* oculus visu privatus; *δ.* »oculus ita percussus, ut torqueatur", i. e. quod dicitur *age breud* in iure Fris. recent., cf. Fries. Wb. p. 593, vel »oculus qui motum facit" Fries. Rq. p. 86, 15. Ex iure Frisiae mediae vetere vulnerationes sub *α* et *β* nominatae, weregeldo dimidio mulctantur, i. e. $26\frac{2}{3}$ solidis; vulneratio sub *γ* nominata $20\frac{2}{3}$ solidis; quod quidem iure Additionis ita emendatum est, ut vulneratio sub *α* nominata »ter 40 ($= 2 \times 20$) solidis" mulctaretur; vulneratio *β* »ter 20 solidis"; (vulneratio *γ* $20\frac{2}{3}$ (20?) solidis, iure vetere haud mutato;) et vulneratio *δ* »ter 4 solidis". In Frisia occidentali oculus erutus tempore Additionis mulctatus est (ter?) 25 solidis, i. e. weregeldo dimidio, quam quidem mulctam tempore vetere eodem modo in Frisia media iuris fuisse vidimus, eamque etiam recentiore tempore multis in Frisiae pagis valuisse, ostendunt plures loci legum Frisicarum recentiorum, conf. Fries. Rechtsq. pag. 136, 3. 177, 24. 216, 17. 328, 18. 331, 11. 341, 26 etc. De mulctis oculorum cf. l. Sal. XXIX, 1; l. Rip. V, 3; l. Thur. V, 3; l. Sax. I, 11; l. Alam. LX, 6; l. Bai. III, 1. § 9, et Wilda p. 763, qui censet numerum laudatum »$20\frac{2}{3}$" in leg. Fris. XXII, 45 corrigendum esse in $26\frac{2}{3}$, i. e. in summam weregeldi dimidii.

Qua in re viro doctissimo haud consentio, testimonio enim capitulorum e lege Frisica allatorum, weregeldum dimidium mulctam facit oculi eruti, neque vero oculi visu privati; ac numerus 20⅔ confirmatur capitulis 47 et 48 tit. III Addit. Sap., in quibus, ut supra illustravi, mulctae oculi diversae multiplicatione numeri 20 sunt formatae, ita ut fortasse numerus »20⅔" in »20" sit corrigendus. De laesione palpebrarum et superciliorum disserunt capitula 14 et 15 tit. XXII leg. Fris.

85 Verba capituli 47: *si quis alium pectus foraverit*, 12 *solidos componat*, illustrantur atque emendantur iis, quae legi addita sunt in Additione Sap. III, 45: *si quis alium in tergum aut pectus ita vulneraverit, ut vulnus sanari non possit, sed per fistulas sanies decurrat, ter* 12 *solidos componat.* Loco laudato Additionis mulcta pectoris vulnerati triplicata est, ut plurimae mulctae Additione Sap. sunt triplicatae, quas lex Frisionum constituerat, neque tamen genus vulneris est mutatum, de quo capitulum verba facit; ac nunquam certe pectus omni modo foratum ex capitulo 47 legis Fris. duodecim solidis erat mulctandum; conf. in leg. Fris. XXII, 52: *si in ventrem vulneraverit*, 12 *sol. comp.*, et in leg. Fris. XXII, 23: *si costam transversam inciderit*, 12 (*ter* 12 Add. III, 30) *solid. comp.*; et vide l. Sal. XX, 6 (ed. Merkel nov. 190): *si intra costas aut in ventre miserit vulnus, et currat et non sanat*, 62½ *solid.*, conf. etiam l. Sal. em. XIX, 6 (ed. Merkel nov. 48) et l. Alam. LXIII. De iure Frisiae recentiore conf. Fries. Wörterb. sub voc. *brust*, *buk* et *side*.

86 Ex capitulis 48 et 49 mulctantur »praecordia gladio tacta" 18 (i. e. 12 + 6) solidis, »perforata" autem 24 (i. e. 2 × 12) solidis; et praecordia illustrantur voce composita *hert-hamo*, sub qua intelligendum est vestimentum cordis, si eadem ad verbum transfertur, vel *herz-beutel* in dial. theot. rec., i. e. pericardium. Vocem ipsam *hert-hamo*, loco legis Fris. excepto, nonnisi in sermone Anglosaxonico legi, vide Lye, qui laudat in Dictionario Saxonico *heart-hama* ex Exodo 29, 22, et *heort-hama* ex Aelfr. Glossis. Libri iuris Frisici recentioris commemorant *raptum praecordii, id est herta-feng* Fries. Rechtsq. p. 96, 31 et *hert-bledis ben-brek* ibid. p. 467, 23. Glossae in dialecto theotisca sup. vet. scriptae transferunt praecordia vocibus *umpi-herza*, *fur-herza*, *fora-hercida*; vide Graff IV. p. 1047. Notatu maxime digna est forma vocis *hert-hamo*, quae haud respondet dialectis Frisiae transflevanae, ac perspicue designat dialectum veterem Frisiae cisflevanae, qua in terra, ex meo qui-

dem iudicio, textus noster legis Frisionum scriptus est. Forma *hamo* utuntur libri scripti in dialecto theot. sup. vetere (cf. *lic-hamo*, *gud-hamo* Graff IV. p. 933—938) et poema dictum Heliand (cf. *lic-hamo*, *feðar-hamo* Schmeller Gloss. Sax. p. 35, 50. 70), neque occurrit in Frisia transflevana et regionibus septentrionalibus; *hama* enim scribitur in dialecto recentiore Frisiae inter Flevum et Laubachum sitae; *homa* in dialecto recentiore Frisiae inter Laubachum et Wisaram sitae, cf. Fries. Wörterb. p. 902 s. v. *lichama* vel *likkoma; hama*, *homa*, in dialecto Anglosax., et *hams* in dial. Islandica. Adde quod casus accusativus vocis *hamo*, inter cuius formam et casus nominativi in dialectis Frisicis transflevanis nihil differt, in lege Frisionum *hamon* (*hert-hamon*) formatus est, et eodem modo nobis occurrit in poemate Heliand (accusat. *lichamon* Schmeller Gl. p. 71) ac pluribus libris in dialecto theotisca sup. vet. scriptis (accusativum *lichamon* legimus in libris Otfridi, Tatiani etc., vide Graff IV. p. 936). Prima vox verbi compositi *hert-hamo* scribitur in dial. theot. sup. vet.: *herza*, *herze* Graff IV. p. 1044; in dial. poematis Heliand; *herta*, *herte* Schmeller Gl. Sax. p. 55; in dial. Frisiae rec. *herte*, *hirte*, cf. Fries. Wörterb. p. 817; Anglosax. *heorte;* Island. *hiarta*.

[87] Capitulis 50 et 51 constituitur, ut » qui membranam, qua iecor et splen pendent, quod *mithridi* vocant, vulneraverit, 18 (i. e. 12 + 6). solidos componat", qui eam autem » perforaverit, 24" (i. e. 2 × 12). Vox secunda verbi compositi *mit-hridri* scribitur in dialecto Frisica transflevana recentiore *rither*, *hrether* (in composito *mid-rither*, *med-rhether*), in dial. Anglosax. *hreðer*, *hreðre* (animus, pectus, gremium), eaque est derivata a verbo Fris. transflevano rec. *rith*, *red* (in compos. *mid-rith*, *mid-red*, cf. Fries. Wb. p. 929), Anglosax. *hryð* (in compos. *mid-hryð*, cf. Lye Diction. Sax.). Verbum compositum *mit-hridri* scribitur in dial. Fris. transflev. *mid-rither*, *mid-rether*, *mid-rhether*, in dial. Anglosax. *mid-hriðre*, cf. Grimm D. Grammat. III. p. 407 (qui ibidem vocem laudat ex Mone Quellen u. Forsch. p. 271. 318). Testimonio capituli 50 tit. XXII legis Fris. sub voce *mit-hridri* intelligebatur diaphragma, vel theot. *zwerch-fell;* quo in sensu dialectus Fris. transflev. recentior utitur vocibus *mid-rith* et *mid-rither*, cf. Fries. Wörterb. p. 929. In codice meo manuscripto iuris Fivelgoniae p. 66 scriptum est: *is thio dede afara binitha tha midrether ekemen in thene buc, sa is thi onkeme 12 skillinga;.. thene lungernsiama ne scrift ma binitha tha midrhether neut*, etc.; et in codice iuris Hunsegoniae: *sa hwa*

sa thruch maga and midrith stet werth, and thet blod uppa tha midrithere stent, Fries. Rechtsq. p. 334, 2 (ex MS. meo Scaliger. et MS. meo Wicht.)

[88] Conf. not. 85.

[89] Verbo *botellus* (theot. *würstchen*), quod est diminutivum vocis Latinae *botulus*, exprimitur in lingua Latina medii aevi intestinum (i. e. *darm* in dial. theot., *therm* in dial Fris. rec.), et hoc sensu occurrit *budello* in dial. Ital., *budel* in dial. Hispan. vet., *boel* in dial. Francogall. vet, cf. Diez Etymol. Wörterb. d. Rom. Spr. p. 75. Loco vocis *bodellus* leges Frisicae recentiores in sermone Latino scriptae, verbo *intestinum* utuntur, idque transferunt voce Frisica *in-rif*, cf. Fries. Rechtsq. p. 92, 18 et Fries. Wörterb. s. v. *in-rif* (*rif* idem est quod venter). Secundum legem Fris. XXII, 53: »botellus vulneratus" 18 (i. e. 12 + 6) solidis mulctatur, »perforatus" autem 24 (i. e. 2 × 12) solidis; et in capitulo 56 tituli XXII causae explicantur, quibus mulcta laudata 4 solidis accrescit. In Addit. Sap. III, 31 mulcta botelli perforati triplicatur, et sensus verborum legis Fris. ita illustratur: *si botellus ita perforatus fuerit, ut stercus per vulnus exierit*. In cap. 3 Iudiciorum Wulemari (quae legi Thuringorum hucusque adscripta, fini legis Frisicae adieci) dictis additur, mulctam vulneris 12 solidis esse augendam: »si intestina vel botelli perforati claudi non potuerint". Conf. l. Alaman. LXIII, 4.

[90] Capitula 54 et 55 mulctant stomachum vulneratum 12 solidis, gladio vulneratum 18 (i. e. 12 + 6) solidis, perforatum 24 (i. e. 2 × 12) solidis. Quae Additione Sap. III, 31 ita emendata sunt: *si stomachus perforatus fuerit, ita ut stercus per vulnus exierit, ter 24 solidis componatur*. Iudicia Wulemari (in not. 89 commemorata) addunt in cap. 1 et 2: *si contra stomachum vulnus factum claudi non potuerit, 12 solidos pro ipsa apertione componat; si ipse stomachus perforatus fuerit, nec vulnus medicamentis claudi potuerit, pro vulneris apertione totidem solidos componat, quot pro ipso vulnere composuit*. Positiones de stomachi vulneratione propositas, inter se ita conciliare velim: stomachus vulneratus mulctetur 12 solidis; stomachus gladio vulneratus 18 solidis; stomachus vulneratus qui non consanatur, 24 solidis; stomachus perforatus, »ita ut stercus per vulnus exierit", 24 solidis, vel 3 × 24 solidis ex iure Additionis Sap.; stomachus perforatus qui non consanatur, 48 solidis. De iure Frisiae recentiore vide locos legum in Fries. Wörterb. sub vocibus *buk*, *maga* et *side* allegatos, et cf. Wilda p. 739.

[91] Voces huius tituli c. 56: *si de adipe aliquid processerit*

ut praecidatur, 4 *solid.*, illustrantur verbis iuris Fris. recentioris: » pro adipis effluxione, 5 solid." in Fries. Rechtsq. p. 92, 26, quae in text. Fris. transferuntur verbis, » netta-skredene 5 skill.", ibid. p. 93, 26. Frisiones vocem *nette*, i. e. omentum, tempore medii aevi voce Latina *adeps* transtulerunt, vide Fries. Wörterb. p. 949. Conf. etiam verba iuris Fris. recentioris: *werth hir ene monne ut sinre unde smere snithen*, 3 *scillingar*, Fries. Rechtsq. p. 227, 6. 226, 10.

[92] Capitula 57 et 58 praescribunt, ut weregeldo mulctetur, qui veretrum absciderit vel duos testiculos excusserit, dimidio autem weregeldo qui testiculum unum excusserit. Quae mulcta in Additione Sap. III, 60 in usum Frisiae occidentalis triplicatur verbis: *qui testiculos alicui excusserit*, *ter quinquaginta tres solidos et tremissem componat*; 53⅓ solidi enim, hoc in loco nominati, weregeldum faciunt Frisionis liberi antiquum. Perforatio scroti ex lege Fris. XXII, 86 quindecim solidis est mulctanda. Constitutionibus legis Frisicae allatis congruunt in universum quae de iisdem vulnerationibus leguntur in l. Sal. XXIX, 7 (ed. Merkel, et novel. 92 ibid.); l. Rip. VI; l. Thuring. V, 6; l. Saxon. I. 15; l. Alam. LXIII, 5, aeque ac quae ex statutis Anglosaxonicis et septentrionalibus Wilda p. 766 citavit. De iure Frisico recentiore conf. locos legum in Fries. Wörterb. commemoratos sub vocibus *mecht*, *tilinge*, *pint*, *pralling*, *hothan*.

[93] Capitulum 59 proponit mulctam extraordinariam sex solidorum, cuius summa augeatur mulcta vulneri cuilibet statuta, » si testiculus per idem exierit, et iterum in locum suum remittitur"; quo casu mulcta testiculi laesi specialis non erat solvenda.

[94] Ex capitulo 60 os coxae (vel femoris) fractum aut praecisum 12 solidis, ex capitulis 84 et 86 coxa transpuncta vel telo traiecta 6 solidis mulctatur; atque eodem modo ex capitulo 61 » tibia tota incisa" (i. e. crus praecisum) 12 solidis, » tibia media (i. e. dimidia) incisa (i. e. crus incisum) 6 solidis. Ius Frisiae occidentalis in Additione Sap. III, 61. 62 ita declaratur, ut mulcta coxae transpunctae sit » ter 6 solidi", tibiae transpunctae autem » ter 3 solidi". De iure Frisiae recentiore conf. locos in Fries. Wb. sub vocibus *thiach* vel *thiachskunka* et *skunka* citatos. Vide etiam l. Thur. V, 2 et l. Alam. LXIV, 1—4. LXVI, 1.

[95] In editione Heroldiana legitur: *si pes totus abscissus fuerit*, *XIV solidis componatur*. Dubitandum non est, quin his in verbis numerus XIV in XLV sit corrigendus, quod iam adnotavit Wilda p. 763; hanc enim summam faciunt partes pedis in capitulo 63 aestimatae: pollex pedis 8 solidis, proximus digitus

7 sol., tertius 6 sol., quartus 5, quintus 4, reliqua pars pedis 15 solidis. Idque eo probatum est, quod manus abscissa 45 solidis mulctatur, vide supra cap. 27 et conf. quae ibidem sunt adnotata. In Additione Sap. III, 1 dicitur, pretium idem esse pedis ac manus, mulcta utriusque membri »ex toto abscissi" autem, aestimatione legis Frisicae veteris deposita, in 53⅓ solidos destinatur, id est in weregeldum Frisionis liberi antiquum. Plurimae leges Fris. recentiores constituunt, ut pes abscissus weregeldo dimidio sit mulctandus, conf. Fries. Rechtsq. p. 177, 23. 222, 25. 331, 26, et de iure pedis locos legum in Fries. Wb. allegatos sub vocibus: *fot*, *thiach*, *thiachskunka*, *kni*, *knibla*, *kniskive*, *knibolla*, *skunka*, *fotwerst* et *tane*. De iure pedis in aliis Germaniae regionibus cf. l. Sal. XXIX ed. Merkel; l. Rip. V, 8; l. Thur. V, 5. 9; l. Sax. I, 14. 20; l. Alam. LXV, 1—3 et Wilda p. 769.

[96] Locus laudatus est capitulum 35.

[97] In capitulo 65 constitutum est, ut qui »iratus" (conf. not. 59 ad XXII, 1) capillos cuiusdam hominis apprehenderit, 2 solidis mulctaretur. Additione Sap. III, 39. 40 hoc ita emendatum est: *si quis alteri crinem de capite abstraxerit, ter 4 solidis componat; si illum per capillos comprehenderit, similiter ter* 4 (?) *solidos componat.* Hic, ut plurimis in capitulis tituli III Additionis Sap., mulctae legis veteris sunt triplicatae praeterea autem capilli avulsi atque apprehensi discernuntur, atque utrique »ter 4 solidis componuntur". Coniiciam autem numerum 4, qua mulcta capillorum apprehensorum exprimitur, loco 2 scriptum esse, quo numero lex Fris. XXII, 65 utitur. Leges Frisicae recentiores via ac ratione Additionis Sap. distinguunt: *faxfang* (i. e. »crinis raptus" Fries. Rechtsq. p. 82, 1. vel *bi den haren getagen* Fries. Rechtsq. p. 82 not. 2), aliter dictum *her-breid* (i. e crinis apprehensio), et *her-skredene* vel *her-sked* vel *her of eskeren ieftha barnid to tandere and to spotte*, Fries. Rechtsq. p. 212, 4; vide voces Frisicas laudatas in Fries. Wb., et de iure aliarum regionum Germanicarum: l. Saxon. I, 7; l. Alam. LX, 23, 24; Ed. Rothar. 386; l. Burg. V, 4, et conf. Grimm RA. p. 632 et Wilda p. 777. De barbae laesae mulctis vide l. Fris. XXII, 17.

[98] Capitula 66—70 loquuntur »de vulneribus secundum longitudinem componendis", capitulum 75 autem dicit qua ratione vulnera huiusmodi sint metienda. Mulctae singulae vulnerum ita sunt definitae: »vulnus quod longitudinem habeat, quantum inter pollicem et complicati indicis articulum spannum impleat":

4 solidi; »vulnus quod longitudinem habuerit, quantum index et pollex extendi possunt": 6 solidi; »quod inter pollicem et medii digiti spannum longum fuerit": 13 solidi (*XIII solidi* legitur in editione Heroldiana; in codice manuscripto erat, ut coniicio, *VIII solidi*): »quod a cubito usque ad iuncturam manus longitudine fuerit": 12 solidi; »quod a cubito usque ad summitatem pollicis (i. e. *dum-elle*) longum fuerit": 18 solidi; »quod pleni cubiti, id est ad summos digitos manus extensae, longitudine fuerit" (i. e. ulna, teuton. *elle*): 24 solidi; »quod supra est, non componitur." In omni hac computatione, ut in ea omnium fere mulctarum minorum, quae sunt lege Frisica constitutae, numerus 12 est cardinalis; ex eo numeri 18 et 24 sunt aucti, numeri 8, 6, 4 diminuti. Add. Sap. III, 49—58, quod notatu est dignissimum, omnis dicta in lege Frisionum proposita vulnerum computatio est immutata; longitudo vulneris definitur spatiis singulorum articulorum, qui sunt inter pollicem et digitum indicem extremum, et quodlibet spatium uno solido mulctatur, etc. In Frisia occidentali et orientali, teste capitulo 58 tituli III Add. Sap., uncia (i. e. duodecima pars pedis) est vulnerum mensura, et quodlibet spatium vulneris quod unciam metitur, solido mulctatur. In iure Frisico recentiore »vulnus secundum suam longitudinem componendum" (Addit. Sap. III, 49) nominatur *mete-dolch* (vel *mensurabile vulnus* in Fries. Rechtsq. p. 82, 11), et eiusmodi vulnera: *ach ma to metane bi thes thuma knokela* (vel *kata*, vel *lithe*) vide Fries. Wörterb. p. 927, et conf. locos legum Anglosaxonicarum et septentrionalium, quos Wilda p. 735 Frisicis comparavit.

[99] Her. *inter nec*; Lindenbrog emend. *inter*.

[1] Voce *spanna* vel *spannum* (spithama, palmus) utuntur lex Fris. XXII, 66. 67 et Additio Sap. III, 56; eadem scribitur *spanna* in dial. theot. sup. vet., cf. Graff VI. p. 347; *span*, *spon* in dial. Anglosax.; *spönn* in dial. Island. Libri de iure Frisico saeculo XIII et XIV scripti sub voce *sponne* fibulam vel vinculum intelligunt, ac verbo *spanna* transferunt vincire, nectere, conf. Fries. Wörterb. p. 1042; neque tamen voci *spanna* sensum spithamae in dialectis Frisicis transflevanis defuisse, probatur verbo composito *bi-spanna*, i. e. spithama metiri, vide in leg. Fris. rec. *ief ene manne manigera dolch den werth than en, mei hi se bispanna, so scel ma se alle beta* Fries. Rechtsq. p. 445, 26. 454, 26. 463, 21. 464, 4.

[2] Herold *XIII*; quam lectionem veram non esse, adnotavit

P. Wierdsma Oude Fries. Wetten p. 376; coniicere me *VIII*, vide not. 98. p. 82.

[3] Her. *quot plene cubiti ;* emend. *quod pleni cubiti.*

[4] Capitulis 71—74 mulctae, quae sint solvendae, si ossa quaedam ex vulnere facto exeant, tali modo constituuntur: » si os exierit tantae magnitudinis, ut iactum in scutum trans publicam viam (vel » 12 pedum spatio distante homine" Additio Sap. III, 24) sonitus eius audiri possit, 4 solidis componatur"; atque os secundum eiusdem magnitudinis quod exierit, 2 solidis, tertium uno solido mulctatur. Quae legis Fris. mulctae triplicatae sunt Additione Sap. III, 24. Neque aliter in legibus Frisiae recentioribus definitur magnitudo ossium, quae laesa pecunia sint mulctanda, conf. *thet ma thet ben kleppa hera machte, als hit fole fan sin kne op an brunen skeld*, Fries. Rechtsq. p. 494, 3. 497, 7; et: *dat ma dat ben mochte hera kleppa, ief hit fan sine kne foel ur* 9 *stapen in en levin* (*dat is in en beken*), ibid. p. 470, 3. 449, 6. 464, 13. Similia sunt statuta in lege Ripuar. LXVIII, 1. 2; l. Alam. LIX, 4; Ed. Rothar. 47 et in iure septentrionali, conf. Wierdsma Oude Fr. Wetten p. 355; Rogge Ger. p. 35; Grimm RA. p. 77. 630 et Wilda p. 745.

[5] Her. *minori copositione solvatur ;* emend. *minore etc.*

[6] Ad cap. 75 cf. not. 98. p. 82. In legibus Frisiae recentioris legimus: *tothes bite* (canis morsus) *en meteunde, fiower ach ma to betane, ief ma hia bitwiskia mei, elkers bete ma hia, alsa hit bereth bi there mete*, Fries. Rechtsq. p. 218, 15; et: *ief hi swera wille, thet him alle tha dolch den werthe it ene stole and it ene sleke*, Fries Rq. p. 445, 28. 454, 28 etc.

[7] Verba capituli 75: *cetera vero vulnera remaneant* dicunt, vulnera facta minora non esse mulctanda. Conf. de iure Fris. recentiore locos in Fries. Wb. p. 926 sub voce *meta* laudatos. In Frisia occidentali non permissum erat mulctam vulnerum dimensorum solidos 53⅓ excedere, id est weregeldum antiquum Frisionis liberi, vide Addit. Sap. III, 58.

[8] In capitulis 76—79 regula iuris proponitur: *si membrum* (i. e. brachium, manus, digitus, coxa, pes, digitus pedis) *mancum pependerit, dimidio componatur, quo debuit, si fuisset abscissum*, eaque illustratur capitulo 46 tituli III Addition. Sap. his verbis: *quodcunque membrum percussum, ita debilitatum fuerit, ut ibi inutile pendeat, medietate componatur, qua componi debuit, si penitus fuisset abscissum*, et capitulo 10 tit. II Addit.: *si digitus non praecisus, sed debilitatus et inutilis pependerit, medietas.* Eandem regulam iuris agnoscunt l. Rip.

V, 6; l. Thur. V, 5 et l. Sax. I, 16, cf. Wilda p. 771; in legibus Fris. recentioribus »mancationes", ut vulnera huiusmodi in leg. Fris. XXII, 90 nominantur, varie mulctantur, exempli gratia: *tha sette ma thera sex litha gersfel allerec* (i. e. sex membrorum abscissorum quodlibet) *bi ene halva ielde; tha sette ma thera sex litha allerec onsittande and ele lom, bi ene thrimine ielde*, Fries. Rechtsq. p. 341, 27, cf. ibid. p. 136, 7. 137, 14; *ief thi erm is lom and noutes nette is, sa is thio hachste lemet abuppa etter axla* 100 *scill., thio midliste lemet etta ermboga* 36 *scill*, *thio minste* 24 *scill.* MS. meum Fivelg. p. 60; conf. Fries. Rechtsq. p. 90, 8 et locos laudatos in Fries. Wörterb. sub vocibus *lemethe*, *lemelsa*, *lema*, *lom*.

[9] De mulctis brachii conf. not. 80 ad capit. 27 tituli XXII. In cap. 77 legitur in editione Herold.: *si brachium iuxta scapulam abscissum fuerit*, *tribus sol. et tremisse coponat.* Numerum mulctae his in verbis notatum non lege vetere constitutum fuisse, perspicuum est; $3\frac{1}{3}$ solidi corrigendi sunt, ut iam vidit Wilda p. 763, in $53\frac{1}{3}$ solidos, qui faciunt weregeldum Frisionis liberi antiquum; conf. mulctam manus abscissae, lege Fris. XXII, 27 in 45 solidos constitutam, Additione vero Sapientum in $53\frac{1}{3}$ solidos auctam, vide not. 80. p. 74; item conf. mulctam pedis abscissi, lege Fris. XXII, 62 in 15 (emend. 45) solidos constitutam, Additione vero Sap. in $53\frac{1}{3}$ solidos auctam, vide not. 95. p. 80.

[10] *Quinquaginta* deest in ed. Herold., cf. not. 9.

[11] Auctoritate capituli 79 tituli XXII vulnera, quae in titulo ipso cap. 90 *mancationes* vocantur, in coxis ac pedibus eodem modo sunt mulctanda, quem capitula tituli antecedentia in brachiis et manibus praescribunt. Dictioni verborum autem, qua capitulum 79 utitur, confer eam legis Fris. recentioris in Fries. Rechtsq. p. 445, 30 typis impressae: *also ist in tha erme*, *ist in tha skunke*, *thet* etc.

[12] Ad vocem *iudicatum est* allego verba: *in simplo componere iudicatur* Add. Sap. III, 68, et capitula legi Salicae a. 819 addita: *de capitulo primo* (*capitulo undecimo*, etc.) *legis Salicae iudicatum est ab omnibus* etc., Mon. Germ. LL. I. p. 225. Conf. Waitz D. Verfass. G. III. p. 507, et vide quae in praef. leg. Fris. p. XLVI adnotavi.

[13] In capitulis 47—51 tituli XXII mulctae sunt propositae ab eo solvendae, qui hominis liberi pectus vel praecordia vel diaphragma perforaverit; in capitulis 80 et 81 additur, quomodo mulctae eaedem ratione vulneris facti 4 aut 8 solidis augentur;

verba legis illustrantur locis sequentibus, qui in statutis Frisiae recentioribus nobis occurrunt: *pro pulmonis effluxione* 36 *solidi*, Fries. Rechtsq. p. 92. 24; *hwasa undad werth anda sin lungen, thet se him ursith, en thrimen lif*, ibid. p. 227, 2; *hwasa anda sin brust undad is, thet thi om ther stedes ut gong, en thrimen lif*, 225, 37; *hwersa thi mon ande sine briastum alsa fir urfuchten is, thette sine omma nawet bihalda ni muge*, etc., 333, 32; *thes omma* (»adema") *utgong*, 97, 12. 449, 6. 457, 8. 466, 15; *pro spiratione alicuius in vulnere*, 96, 22; *thiu brustunde inur wuch, inethma and utethma*, etc., 120, 8. 537, 21. 119, 17. 536, 4; *thi omma etter bucunda, ther in ende ut geth*, *aider* 12 *scillinga*, Ms. meum iur. Fivelgon. p. 67.

[14] Capitulum 82 praescribit mulctam, quae homini innocenter ligato sit danda. Plurimae leges Frisicae recentiores sub nomine Frisico *bende* vel Latino *vinculatio* (cf. Fries. Rechtsq. p. 96, 1, et *quisquis virum sine culpa vinculaverit*, ibid. p. 64, 18) criminis commemorati mentionem faciunt ac tres vel quatuor eius gradus distinguunt, vide Fries. Wörterb. p. 623. Conf. constitutiones Frisicis consentaneas in l. Sal. ed. Merkel XXXII, 1; l. Rip. XLI, 1; l. Thur. VII, 6; l. Bai. III, 1 § 7; l. Burg. XXXII, et Wilda p. 794.

[15] Qui hominem liberum in aquam ita proiicit, ut submergatur, ex capitulo 83 tituli XXII legis Fris. quatuor solidis mulctatur; quam criminis poenam in Additione Sap. III, 41 habemus triplicatam. In Frisia occidentali, teste capitulo 66 tituli III Additionis Sap., ter 12 solidi sunt solvendi loco dictae poenae, si in aquam proiectus fundum aquae haud attingere potest. Ius Frisiae recentioris tres gradus criminis, *wapul-depene*, *wapeldrank* vel *flives-werp* nominati, distinguit, vide Fries. Wörterb. p. 1125. 747. De iure aliarum regionum Germanicarum vide l. Sal. XLI, 5 ed. Merkel (et novel. 15); l. Saxon. I, 9. 10; l. Bai. III, 2, et conf. Grimm RA. p. 631 et Wilda p. 778.

[16] De mulctis brachii vulnerati in l. Fris. conditis vide not. 79. p. 74 et 9. p. 84; verba capituli 84: *si quis brachium alterius transpunxerit*, 6 *solidos componat*, illustrantur capit. 61 tit. III Add. Sap. in usum Frisiae occidentalis scripto: *si brachium supra cubitum transpunxerit, ter sex solid. componat*.

[17] De coxae vulneratae mulctis conf. not. 94. p. 80. Poena coxae transpunctae, in capitulo 84 in 6 solidos positae, capitulo 61 tit. III Additionis Sap., quod attinet. ad Frisiam occiden-

talem, triplicata est. Caput 4 Iudiciorum Wulemari de coxa idem dicit quod cap 84 tit. XXII.

[18] De maxillarum mulctis cf. not. 73 ad l. Fris. XXII, 18, et de »compositione linguae praecisae" cap. 74 tit. III Addit. Sap.

[19] Mulcta 15 solidorum, cuius cap. 86 mentionem facit, composita est ex coxae utriusque transpunctae, quae in cap. 84 tituli XXII in 6 solidos est definita, et tribus solidis, quibus mulctatur scroti perforatio, ut ea cartilaginis in l. Fris. XXII, 16 et linguae in l. Fris. XXII, 85. Verba capituli 86 plane conveniunt cum iis capituli 6 Iudiciorum Wulemari: *si utraque coxa cum testiculis fuerit perforata*, 15 *solidis componat*..

[20] Capitulum 87 repetitum est in usum Frisiae occidentalis in Addit. Sap. III, 67.

[21] In capitulis 88 et 89 commemorantur mulctae contrectationum impudicarum, quae in iure Frisico recentiore *base-feng* vocantur, vide Fries. Wb. p. 620; et conf. l. Sal. XXIII, 1—4 (in ed. Merkel. nov. 56); l. Rip. XXXIX; l. Bai. VII, 3, et Grimm RA. p. 632; Wilda p. 783.

[22] In ed. Herold.: *maxillā;* quod verbum est emendandum cum Wilda p. 784 in *mamillam*, ut legitur in l. Sal. XXIII, 4: *si quis mulieri mamillam strinxerit.*

[23] Her. *comp. IV;* emend. *componat.*

[24] In epilogo tituli XXII explicatur, mulctas in titulo ipso propositas Frisionis liberi esse, et additur, omnes mulctas, quae nobili aut lito solverentur, augendas vel diminuendas esse, ratione habita maioris vel minoris pretii eorum, atque constituitur, ut mulcta quaelibet hominis nobilis tertia parte maior efficiatur, liti autem »medietate minor". Verba legis Frisicae: *nobilis hominis compositio tertia parte maior efficitur* exprimunt, homini nobili tres partes esse dandas, si liber duas partes recipit; ut homini nobili $3 \times 26\frac{2}{3} = 80$ solidi dentur, si liber $2 \times 26\frac{2}{3} = 53\frac{1}{3}$ solidos recipit; verbis enim laudatis *tertia parte maior* utitur sermo Latinus legis Frisionum eodem sensu, quo dialectus Frisica vocibus *thrimene further*, conf. Fries. Wörterb. p. 1078. Verba legis Fris. *liti compositio medietate minor est quam liberi hominis* dicunt, homini lito dimidiam partem esse solvendam mulctae homini libero datae, ut litus $26\frac{2}{3}$ solidos recipiat, si libero $2 \times 26\frac{2}{3} = 53\frac{1}{3}$ solidi solvuntur. Hominis liberi et nobilis weregelda, ad quae verba explicata capituli 90 referuntur, probant titulum XXII ad Frisiam mediam pertinere, neque ad Frisiam orientalem vel occidentalem, quibus in terris duo weregelda hominis liberi weregeldo hominis nobilis in aequo sunt posita, vide

l. Fris. I, 5. 6. 10, et conf. Praef. l. Fris. p. XXXIX Capitula 71—73 tituli III Additionis Sap. dicunt: » hae omnes compositiones (quae in tituli III capitulis antecedentibus sunt commemoratae) liberi hominis sunt; in nobili homine dimidio maior, in lito medietate minor", iisque verbis firmant capitula 71—73 ad Frisiam occidentalem pertinere, qua in terra homini nobili weregeldum $106\frac{2}{3}$ solidorum, libero $53\frac{1}{3}$ solidorum, ac lito $26\frac{2}{3}$ solidorum statutum erat.

[25] Herold. *sive in mulieribus;* Gaertner in l. Fris. ed. Siccama emend.: *sive in vulneribus.*

[26] Her. *sive mulieribus*, conf. not. 25.

[27] Conf. not. 61. p. 70 et 8. p. 83.

[28] Dubitandum non est, quin verba *Additio sapientum*, titulis legis Frisicae sequentibus in editione Heroldiana inscripta, dicant, Wulemarum et Saxmundum eosdem legi addidisse; de tempore Additionis ac de » sapientibus", qui capitula addiderunt, vide praefat. leg. Fris. p. XLII— XLVII.

[29] Wulemarum legi Frisionum addidisse titulum primum, titulum secundum et capitula 1—58 tituli tertii, statuamus, quod nomen ipsius in principio » Additionis sapientum" scriptum est, in principio autem capituli 59 tituli III legitur: *haec iudicia Saxmundus dictavit*, et in principio capituli 76 tit. III *Wulemarus dicit.*

[30] Inscriptio tituli I Add. pertinet ad primum et secundum tituli capitulum; tertium verba facit de furtis. Capitula 1 et 2 adiecta sunt capitulo secundo tituli XVII leg. Fris., quod quidem iis suppletur. Additionis titulum primum ad Frisiam mediam spectare, iure furti probatur, cuius mentionem facit caput 3.

[31] Sub » h o m i n e f a i d o s o" intelligitur, qui hominem quendam ita occidit, ut in eum sint transferenda verba legis Frisicae » inimicitias propinquorum hominis occisi patiatur, donec quomodo potuerit eorum amicitiam adipiscatur", vide leg. Fris. II, 2 et conf. not. 25 p. 44 et not. 28 p. 63. Nonnullis autem in locis occisi propinquis haud permissum erat ultionem petere ab homine faidoso; ex iure Additionis Sap. I, 1 mulctandus erat novies fredo 30 solidorum, qui eum illis in locis occiderit, novies fredo 12 solidorum, qui eum ibidem vulneraverit. Hanc iuris custodiam, vel » pacem" ut ita dicam specialem, habuit homo faidosus: *a.* » in domo sua"; conf. l. Saxon. III, 4 (ed. Merkel c. 27): *qui hominem propter faidam in propria domo occiderit, capite puniatur.* Vide de pace hominis cuiuslibet in domo sua, quam statuta Frisiae recentioris

vocant *hus-fretho*, leg. Fris. XVII c. 4 et quae ibidem sunt adnotata; cf. Wilda Strafr. p. 242 et Waitz Verfass. G. IV. p. 433. *b* Dictam pacem habuit homo faidosus » in ecclesia, ad ecclesiam eundo, de ecclesia redeundo''. De pace hominis cuiuslibet » in ecclesia aut in atrio ecclesiae'' vide leg. Fris. XVII, 2; de pace autem faidosi in ecclesia conf. decretum Chlotacharii regis c. 6 in Mon. Germ. LL. I. p. 12 et Capitulare ad L. Sal. a. 803 c. 3, ibid. I. p. 113, et Wilda p. 251. *c.* » Pacem dictam habuit homo faidosus ad placitum eundo, de placito redeundo''. De pace hominum liberorum in iudiciis vel placitis, quam ius Frisiae recentioris vocat *thing-fretho*, vide not. 28 ad leg. Fris. XVII, 1; de pace speciali hominis faidosi in placito conf. Wilda. p. 235.

[32] Capitulum 3 tituli I Add. adiectum est ad leg. Fris. III; neque vero eodem ius furti emendatur, quod propositum est in titulo legis in Frisiae mediae usum, vide not. 39. p. 46. Cf. l. Sax. IV, l. 6: *qui caballum furaverit, capite puniatur; qui bovem quadrinum..nocte furto abstulerit, capite puniatur*, et l. Sal. III, 4 et XXXVIII, 1 ed. Merkel.

[33] Verbis capituli 3: *si quis screonam effregerit, capitali sententia puniatur etc.* componas verba in l. Sax. IV, 5: *qui in screona aliquid furaverit, capite puniatur;* in l. Burg. XXIX, 3: *effractores omnes, qui domus aut scrinia* (screunias?) *exspoliant, iubemus occidi;* in l. Sal. XXVII, 18. 19 ed. M.: *si quis screona sine clave effregerit.., si screona qui clavem habet effregerit, etc.*, cf. l. Sal. XIII, 2; in Capitul. de villis a., 812 c. 49: *ut genitia nostra bene sint ordinata, id est de casis, pislis, teguriis, id est screonis, et... habeant portas bonas*, Mon. G. LL. I. p. 184. De screonis legimus in Ducange Gloss.: *Pithoeus ait escrenes etiamnum hodie rusticis Campanis dici cameras illas demersas in humum, multo insuper fimo oneratas, in quibus hyeme puellae conveniant; et Wendelinus Taxandros voce scrane similiter uti.* Verbum *screona* sumptum esse a voce Latina scrinium, censet I. Grimm in Reyscher et Wilda Zeitschr. für D. Recht V. p. 2, quam sententiam Müllenhof in Waitz R. der Sal. Fr. p. 292 impugnat.

[34] Titulus II Addit. Sap., qui in editione Heroldiana inscriptus est *Compositio Vulnerum. Tit. II. Paragraph* 1. *Si quis etc.*, verba facit de solis manus ac digitorum mulctis. Rectius capitula quae titulum III Additionis Sap faciunt, ad titulum II sunt numeranda, ut verba *Compositio vulnerum* sint inscripta capitulis omnibus, quae in editione legis Heroldiana secundum et tertium Additionis titulum formant. Verba *hoc totum in triplo*

componatur, quae in editione legis Heroldiana titulo tertio sunt inscripta, non ad omnem titulum III, sed ad titulum II spectant, cf. infra not. 44; capitulorum antecedentium ratione habita, similiter dictum est in l. Fris. XXII, 90: *haec omnia ad liberum hominem pertinent*, et in Addit. Sap. III, 71: *hae omnes compositiones liberi hominis sunt.*

[35] Capitula 1—10 tit. II Add. addita sunt ad capitula 27—44 tituli XXII legis Fris.; vide quae de manus ac digitorum mulctis ibidem sunt adnotata, ac conf. verba extrema cap. 58 tit. III Additionis.

[36] Her. *XXV solid. et V denarios comp.*; qui numeri depravati sunt, ut iam vidit Wilda p. 769. Summa 25 solidorum et 5 denar., vel 26⅔ solidorum, facit weregeldum dimidium, id est poenam qua pluribus in legibus Germanicis manus abscissa mulctatur. vide Davoud Oghlou Histoire de la législ. des anciens Germ. II. p. 210, et de iure Fris. rec. not. 80. p. 74; quum vero pretia, quae capitula 2—6 partibus manus singulis ponunt, summam 58, vel, ut corrigam, 53 solidorum efficiant, haud censeam capitulo primo tituli II manum omnem abscissam 26⅔ solidis aestimatam fuisse; et coniiciam numerum 26⅔ emendandum esse in 53 vel 53⅓ solidos, id est weregeldum hominis liberi, quo manus abscissa in Add. III, 1 mulctatur.

[37] Her. *IV solidis et dimidium*; em. *solidos.*

[38] Her. *XII*; emend. *VII*; cf. not. 80 p. 74.

[39] Her. *minimum*; emend. *minimus.*

[40] Her. *abscisso*; emend. *abscissio.*

[41] Ex capitulo sexto ad manus abscissae mulctam quatuor solidi addendi sunt, si manus ita est abscissa, »ut terram cadens tetigerit"; quae vulneratio in legibus Frisiae recentioribus termino technico *gers-fall* (i. e. theot. *gras-fall*) nominatur, conf. Fries. Wb. p. 775; atque in legibus Emisgoniae recentioribus illustratur verbis: *en hond al of, thet hiu oppe ther erthe lidze*, Fries. Rechtsq. p. 221, 16. In statutis Frisiae recentioris latine scriptis legimus: *pro casu auris ad terram etc.*, Fries. Rq. p. 86, 30. et *pro digitorum* (*dentium, intestinorum*) *ad terram lapsu* etc., ibid. p. 88, 22. 29. 31. 90, 29.

[42] In capitulis 7—9 tituli II Add. de digitis manus explicata, iisdem fere verbis de digitis pedis reddunt capitula 5—7 tituli III Add.

[43] De »digitis debilitatis" vide l. Fris. XXII, 76 et Add. Sap. III, 46.

[44] In ed. Heroldiana legimus: *Hoc totū in triplo compo-*

natur. Tit. III. Paragraph 1. *Pes etc.*, et verba *hoc*...*componatur* litteris maiusculis impressa, tituli tertii inscriptionem formant. Nisi autem omnia me fallunt, verba laudata sunt referenda ad capitula tituli II, vel ad capitula 1—7 tituli III, neque ad omnia tituli III capitula; non enim est quod dubitem, quin manus et pedis mulctae, in capitulis 1—10 tituli II Addit. atque in capitulis 1—7 tituli III Addit. pronunciatae, tempore quo Additio Sap. condebatur similiter sint triplicandae, ut mulctae auris, nasi, oculi etc., de quibus capitula sequentia tituli III ita loquuntur, ut singulis poenis nominatis addant vocem *ter*, exempli gratia: *ter* $53\frac{1}{3}$ *solidis componat* Add. III, 8. Nullo modo censeam animum fuisse Wulemari sapientis, qui Additionis titulum II et capitula 1—58 tituli III legi Frisionum addidit, verbis *hoc totum in triplo componatur* exprimere mulctas tituli II, non esse triplicandas, omnes autem ter esse sumendas quarum capitula tituli III mentionem faciunt, quo efficeretur, ut numeri mulctarum, quibus capitula tituli III vocem *ter* adiiciunt, novies sumantur. Ex mea sententia auctoritate verborum *hoc totum in triplo componitur* triplicandae sunt manus mulctae, quas titulus II proponit; testiminio autem capituli 1 tituli III *pes componatur ut manus*, i. e. mulcta manus $53\frac{1}{3}$ solidorum triplicata etiam pedis est. Quod attinet ad capitula 8—78 tituli III, plurima eorum notant, poenas in iis nominatas ter esse sumendas; nonnulla omnino dicunt, mulctas eorum non esse triplicandas, conf. verba capituli 68: *in simplo componere iudicetur*, et *compositio in simplo persolvatur*, et in capitulis 69 et 70 *in simplo componantur*; alia tandem tituli capitula poenas quasdam proponunt, nullo verbo addito, utrum sint triplicandae nec ne, vide cap. 46. 50. 59. 64. 64. 75. 78, et quae ibidem adnotavi, confer. etiam cap. 67.

45 De inscriptione tituli III in editione Heroldiana vide not. 44; coniiciam Heroldum verba eius *Tit. III. Paragraph* 1, addidisse. Nomen paragraphi legis Frisicae capitulis primitus alienum fuisse, in nota 3 ad leg. Fris. I, 1. p. 39 exposui; quin autem titulus tertius editionis Heroldianae eo tempore quo scribebatur, partem fecerit tituli secundi, quin inscriptus est *Compositio vulnerum*, nihil dubitationis habeam, conf. not. 34. Coniecturae propositae novum argumentum est in editione Heroldiana duos titulos inscriptos *Tit. III* esse: et titulum de quo verba fecimus ac quem partem tituli secundi putamus, et titulum sequentem, qui est inscriptus *Tit. III. De eo qui alteri viam contradixerit.* Titulum tertium Heroldianum priorem littera *a*

verbis *Tit. III* apposita (i. e. *Tit. IIIa*) in textu notavi; rectius capitulis 1—10 tituli II, capitula 1—58 tituli IIIa adnumerentur, neque tamen numeros Heroldianos omnes, saepissime laudatos, mutare volui. Ipse Heroldus in »indice legum in opere suo per titulos et capitula distinctarum", titulum IIIa silentio praeterit, eius capitula titulo secundo adnumerans; legimus ibidem: *tit.* 1. *De pace faidosi; tit.* 2. *Compositio vulnerum; tit* 3. *De eo qui alteri viam contradixerit; etc.*

[46] Capitula 1—7 tituli III Add. de mulctis pedis agunt atque emendant quae de iisdem in l. Fris. XXII, 60—63 sunt proposita; conf. verba extrema capituli 58 tituli III Additionis.

[47] Manus mulctam capitula 1—10 tit. II Add. constituunt.

[48] Capitula 2—7 tit. III Add. mulctas digitis pedis in capitulo 63 tit. XXII leg. Fris. constitutas emendant; conf. de manus digitis cap. 2—5 tit. II Add.

[49] Capitulum 8 additum est capitulis 1 et 2 tituli XXII leg. Fris.

[50] Herold: *ter L trib. solidis et tremissem*, emend. *tremisse.*

[51] Cap. 9 additum est cap. 9 tit. XXII leg. Fris.

[52] Cap. 10 additum est cap. 10 tit. XXII l. Fris.

[53] Her. *ter XX duos* [i. e. *XXII*] *solidos et tremissem componat;* emend. *ter XXVI solidos et duos tremisses;* conf. not. 67 ad l. Fris. XXII, 10.

[54] Cap. 11—13 addita sunt cap. 16 tit. XXII leg. Fris.; conf. cap. 63 tit. III Add.

[55] Cap. 14 additum est cap. 18 tit. XXII leg. Fris.; conf. cap. 65 tit. III Add.

[56] Cap. 15 additum est cap. 14 tit. XXII leg. Fris.

[57] Capit. 16 tit. III Add. Sap. constituit, ut vulnus quo facies deformata est, ter quatuor solidis mulctetur. Nullus locus in lege Frisionum mentionem facit huius poenae, quam eo iam tempore quo lex Frisionum condebatur in Frisia iuris fuisse coniecturam faciam ex quatuor solidis ter sumptis, quibus in Add. Sap. composita est, vide not. 72. 76 et 79 p. 72, 73 et 74. Idem vulnus nobis occurrit in l. Saxon. I, 5, in l. Thuring. V, 10 (ed. Merkel 23), in l. Aethelberti regis Anglosax. 56 et in statutis Frisiae recentioribus, vide locos quos in Fries. Wörterb. sub voce *wlite-wlemelsa* allegavi, et in Zeeländ. Handv. a. 1290 § 37: *wonden de onbedeckt syn in 't ansichte of op die hant, daer litteyken of blyft, sal men trivout gelden*, Mieris Charterb. I. p. 514. Conf. et l. Alaman. LX, 21, ac vide Grimm Rechtsalterth. p. 630 et Gesch. der D. Sprache p. 606, et Wilda Strafr. p. 746.

[58] Spatium 12 pedum, hoc loco commemoratum, occurrit etiam in Add. Sap. III, 24, cf. not. 4. p. 83.

[59] Herold *Vuilitiuam*, emend. *wliti-wam;* vox eadem legitur in lege Thuringorum 23 ed. Merkel (vel V, 10 ed. Herold.): *wlitiwam* (*uulitiuam* Ms. Corbei., *vulitiuuam* ed. Herold.) 50 *solidis componat;* in lege Saxonum I. 5: *si wlitiwam* (*uulitiuam* Ms. Corbei. et ed. Herold.; *uultauam* Ms. Spangenb.; *uultinam* ed. Ioh. Tilii) *fecerit*, 240 *solidos*, atque in leg. Aethelb. regis 56: *aet þam laerestan vlitevamme* 3 *scillingas*, Schmid Angels. Ges. p. 6. Leges Frisicae recentiores loco vocis laudatae utuntur voce *wlite wimelsa*, conf. Fries. Wb. p. 1157. Verbum *wam* (vitium, macula) scribitur in sermone Goth. *vamm;* in theot. sup. vet. *wamm*, Graff I. p. 851; in dialecto poematis Heliand. *wam*, Schmeller Gl. Sax. p. 124; in dial. Anglosax. *vam*, *vaem*. Dialectis Frisicae recentioribus verbum ipsum *wam* incognitum est, eaedem usurpant vocem *wimelsa*, a voce *wam* derivatam, conf. Fries. Wörterb. p. 1157. Verbum *wlite* (splendor, vultus, facies) scribitur *wliti* in dialecto poematis Heliand, conf. Schmeller p. 137; *wlite* in dial. Fris. recentior., cf. Fries. Wb. p. 1157; *vlite* in dial. Anglosax. Libri quos in dialecto theot. sup. vet. scriptos habemus, haud usurpant verbum simplex *wlite*, ac scribunt *luzi* in verbo composito *ant-luzi* (theot. rec. *ant-litz*), cf. Graff II. p. 322 et Grimm D. Wb I. p. 502; eorum verbis litterae *wl* in principio plane sunt inusitatae, cf. Graff I. p. 1130. Incognitum habemus, an dialectus Francorum Salicorum in principio verborum litteras *wl* adhibuerit; I. Grimm Gesch. d. D. Spr. p. 607 notat: *Das wl in wlitiwam ist zwar nicht mehr althochdeutsch, mag es aber früher gewesen sein, wie es Gothischem vl enspricht.*

[60] Cap. 17 additum est capitulo 17 tit. XXII l. Fris.

[61] Her. *solid. componat.*

[62] De oculi mulctis vide capitulum 45 tit. XXII legis Fris. et ibidem adnotata; neque tamen lex Fris. oculi laesionem attingit, quam poena »ter 4 solidorum" (cf. not. 57) mulctatur in capitulo 18 tit. III Additionis Sap. In Iudiciis Wulemari (quae ad finem legis Fris. typis imprimere feci) eadem vulneris mulcta proponitur, neque tamen ter sumpta; verba ex Iud. Wul. laudata leguntur ibidem in cap. 7: *si quis alium in facie percusserit, ut oculus vel os torqueatur*, 4 *solidos componat.* Habemus eandem oculi et oris laesionem in iure Frisico recentiore mulctatam: *ief thet age breit*, in Fries. Rechtsq. p. 86, 14. 87, 13, et vulnerationes dictae nominantur frisice: *age-breud* et *muth-breud* in Fries. Rechtsq. pag. 216, 28. 217, 27. 219, 30.

[63] Cap. 19 additum est capitulo 15 tit. XXII leg. Fris.

[64] *Solidi componantur* apud Heroldum legimus.

[65] Capitula 20 et 21 addita sunt capitulis 11—13 tit. XXII leg. Fris.

[66] Her. *rugas;* emend. *rugae.*

[67] Her. *incisa;* emend. *incisae.*

[68] *IV solidi* apud Her. legimus.

[69] In lege Frisionum haud commemoratur capitis laesio in capitulo 22 tituli III Add. poena » ter quatuor solidorum" (conf. not. 57) mulctata, quae est Frisiae recentioris iuri percognita, vide: *haved-dusenge*, *thette weder and unweder ande sine havede wite*, in Fries. Rechtsq. p. 334, 13, et: *algor et calor* (Fris. *hete and kelde*, conf. Fries. Wörterb. p. 812) *et mutatio aeris* (Fris. *weder-wondelenga*, conf. Fries. Wörterb. p. 1130) in Fries. Rechtsq. p. 84, 7. 92, 22. Conf. Gotlands-Lagen I. § 22: *þet ir handa lestr minstr, en ai ma þula varmt eþa calt so sumfyr*, Schlyter Corp. iur. Sueogot. VII. p. 40.

[70] Cap. 23 additum est cap. 6 tit. XXII leg. Fris.

[71] Cap. 24 additum est capitulis 71—74 tituli XXII leg. Fris.

[72] Conf. not. 58.

[73] In lege Frisionum non leguntur quibus adiecta sunt capitula 25—27 tituli III Additionis; mulctas autem vulnerum in iis commemoratas iam eo tempore quo lex Frisionum scribebatur in Frisia exstitisse censeam, quod affirmant poenarum summae in capitulis Additionis ter sumptae, vide notam 57. Ad capitula 25—27 allego legum Frisic. recentiorum verba: *hwerso en man dulgid wirth, ende hi dat kalde irsen binna hem drecht, so etc.*, Fries. Rechtsq. p. 471, 7. 494, 33, 498, 2; cf. vulnus quod illae dicunt *ben-skredene*, ibid. p. 120, 5.

[74] Capitula 28—30 addita sunt cap. 23 tituli XXII leg. Fris.

[75] Her. *incisa perconfixa;* Lindenbr. em. *incisa vel confixa.*

[76] Cap. 31 additum est capitulis 53 et 55 tituli XXII leg. Fris.

[77] Cap. 32 additum est capitulis 35—43 tituli XXII leg. Fris.

[78] Her. *iunctura;* emend. *iunctura.*

[79] De voce *liduwagi* conf. not. 82 ad XXII, 35 leg. Fris.

[80] Wilda Strafr. p. 741 adnotavit, omnes omnino regni Franconici leges, solo capitulo 33 tituli III Add. Sap. leg. Fris. excepto, silentio praeterire poenas solvendas, » si os ita incisum sit, ut medulla decurrat" Add. III, 33, quae in legibus Germanorum septentrionalium plurimis commemorantur. Cum iure in capitulo 33 tit. III Add. Sap. constituto leges Frisiae recentiores consentiunt, conf.: *istet merech ut runnen etta ermum ieftha etta*

benum fon tha brande, sa etc., Ms. meum iuris Fivelgoniae p. 77; *thi merech-rene* 36 *scillinga*, ibid. p. 78; *benbrek oen da ermis merg ende oen dat tiegmerk* (cruris medulla), 4 *schillingen; ende dat inred in dat ermmerg ende tiegmerk, also* 4 *schillingen*, Fries. Rechtsq. p. 467, 20. 469 n. 11. 447, 5. 456, 9. 493, 3. 496, 12.

[81] Her. *ter IV sol. cōp;* Wilda Strafr. p. 741 corrigendum esse censet. *ter* 12 *solidos c.*, cui non assentiam, ratione habita mulctarum iuris Frisici recentioris, quae in not. 80 laudatae sunt.

[82] Capitulo 34 tit. III Add. sancitum est, ut homini vulnerato, cuius corpus sanatum cicatrice quadam, *spido* nominata, deformatum est, mulcta ter quatuor solidorum daretur. Poenae dictae cuius lex Frisionum nullam facit mentionem, eam conferre velim, quam capitulum 16 tituli III Additionis legi Frisionum adiicit. Libri iuris Frisici recentioris loco vocis *spido* utuntur verbo *in-septha*, et hoc interpretantur verbis Latinis *humiliatio vulneris*, conf. Fries. Rechtsq. p. 84, 5. 92, 10, ac verbis theotiscis *daer de wunde wert syder*, Fries. Rq. p. 213, 21, vide Fries. Wb. p. 586 sub voce *a-bel* (tumor), cui leges Frisiae vulnus *in-septha* nominatum opponunt. Verbum Frisicum *in-septha* in Fries. Wb. p. 853 et 1164 e verbo Frisico *sipa* formatum dixi, quod nobis occurrit in verbo composito *bi-sipa: age dat nat bisepen is* (oculus qui non est absorptus, i. e. oculus non concavus) Fries. Rechtsq. p. 465, 30. 450, 24; verbum Frisicum *sipa* scribitur in dial. Anglosax. *sipan* (sorbere), in dial. Island. *supa*, in dial. Nederland. med. *supa*, in dial. theot. sup. vet. *sufan*, cf. Graff VI. p. 170; ac putavi l. l. vocem *spido* in Additione Sap. usitatam, ex voce *sipido* contractam, eandem esse cum voce Fris. *sephta*. I. Grimm, in Deutsche Gram. 3te Ausg. Göttingen 1840 I. p. 414, hanc meam coniecturam approbans, dicit: *spido in der Additio l. Fris. III*, 34 *scheint verschrieben oder verlesen für sipido; in handschriften iener zeit findet sich i oft mit einem kleinen strich unter der linie angehängt.* In legis Frisicae editione Heroldiana syllaba ita scripta nobis non occurrit; haec sunt compendia per quae in libro dicto verba permulta typis sunt impressa: *ā, ē, ō, ū* = *am, an, em.* etc.; *ę* = *ae; t'* = *tur; aūt* = *autem; q̲* = *qui; q̄* = *quae; q'* = *que; q̲* = *quod; q̄d* = *quod; q̄'* = *quam; p̄* = *prae; p̲* = *per; p* = *pro.* Non dubito, quin formae vocis *sipido* vel *sopido*, ea vocis *smelido* in l. Fris. Add. III, 35 conferenda sit, ac censeo litteras *-tha* in vocibus derivatis Frisiae

orientalis et mediae, litteris -*do* in vocibus derivatis Frisiae occidentalis respondisse.

[83] Her. *spido;* fortasse scribendum est *sipido*, cf. not. 82.

[84] Cap. 35 additum est capitulis 77. 78 et 84 tituli XXII leg. Fris., quae autem brachii aut cruris vulnerationem, in capitulo 35 commemoratam, ignorant; mentionem eius faciunt Iudicia Wulemari in cap. 8, conf. eorum verba in fine legis Frisicae typis impressa, quae ad similitudinem capituli 35 tit. III Add. Sap. accedunt. Libri legum Frisicarum recentiorum vulnerationem dictam habent cognitam, cf.: *thiu hagoste lemithe : erm iefitha ben wekande and welande, contra and crumbra..; thiu midloste..., thiu minnuste lemithe etc.*, Fries. Rechtsq. p. 121, 4. 538, 3. 542, 12. 91, 9; *thrina lithsmelenga, thiu hageste..., thiu midleste.., thiu minneste, etc.*, ibid. p. 90, 13: *tha thrina lithsmelinga alsa fule, sa thio lemethe*, Ms. meum Fivelg. p. 68; *lithsmelinge anda erme (inna fingera; inna thiage ieftha inna skunka)*, Fries. Rq. p. 220, 25. 27. 222, 33. 223, 3.

[85] Herold *smelido;* viro docto Siccama non consentio, qui legendum esse censet *ge-smelet* (extenuatum, gracile redditum). Vocem substantivam *smelido* ex verbo *smela* (extenuare, minuere) eodem modo formatam censeo, quo *sipido* ex verbo *sipa*, vide not. 82; cf. verba Frisica *smela* (extenuare) et *smel* (tenuis, parvus) in Fries. Wb. p. 1038, et in dial. Anglosax. *smal, smeal*, in dial. poematis Heliand *smal*, in dial. theot. sup. vet. *smal*. Libri in sermone Frisiae orientalis scripti loco vocis substantivae *smelido* utuntur voce *smelinge* vel *smalenge*, cf. Fries. Wb. p. 906 et 1038, in dialecto Anglosaxonica *smallunge* (deminutio), quae ab ipso verbo *smela* derivata est. Vide vocem *smelo* in cap. 56 tit. III Add.

[86] Cap. 36—38 addita sunt capitulis 19—21 tituli XXII l. Fris.

[87] Cap. 39 et 40 addita sunt capitulo 65 tituli XXII legis Fris.

[88] In ed. Her.: *sic crimen*, et in nota margini adscripta: *crinem;* emend. *si quis crinem;* in cod. Ms., quo usus est Herold, fortasse scriptum erat: *si q crin.;* cf. verbum *autem*, quod in ed. Her. *aut* per compendium scriptum est, v. not 82.

[89] Her. *ter IV sol.;* non dubito, quin emendandum sit *ter II sol.*, i. e. ter duobus solidis, v. not. 97. p. 81.

[90] Cap. 41 additum est cap. 83 tit. XXII l. Fris.

[91] Cap. 42 et 43 addita sunt cap. 3 et 4 tit. XXII l. Fris. Ictus, quo sanguis profluit, ex iure l. Fris. »uno solido", ex iure Addit. Sap. » ter solido componatur"; ac dictae poenae ad-

iectum est in Additione: *qui alium fuste percusserit, ut lividum fiat, ter solidum et semissem componat.* In libris iuris Frisici recentioris multis in locis laesiones discernuntur manu aut baculo, aut armis factae; conf. exempli gratia: *fest-slek* 4 *panningar; stef-slek* 8 *panningar; isern-slek, ieftha mith balga swerde, thrimine furthere sa thi stef-slek*, Fries. Rq. p. 213, 15, vide Fries. Wb. p. 1035 sub voce *sla* nr. 1. Ictus, quo membra percussa livida fiunt, etium commemorantur in legibus Frisicis recentioribus: *anda hine slait blaw ieftha blodich*, Fries. Rechtsq. p. 239, 7. 241, 2. 461, 11; laesiones huius generis dicuntur *blawelsa*, Fries. Rechtsq. p. 213, 19. Conf. legem Sax. I, 1—3: *de ictu nobilis* 30 *solidos; livor et tumor* 60 *solidos; si sanguinat* 120 *solidos*, et Ed. Rotharis c. 44: *si quis alium pugno percusserit, componat solidos* 3; c. 43: *si livorem aut vulnus fecerit, pro una ferita sol.* 3, *pro* 2, *solidos* 6, etc.

[92] Constitutio capituli 44, quam » Sapientes" in titulum III Additionis receperunt, legem Frisionum legenti non occurrit; neque vero censeam mulctam in capitulo Additionis ter sumptam iuri veteri Frisionum alienam fuisse, cf. cap. 35 tit. XXII legis Fris.: *de humore ex vulnere decurrente, quod lidu-wagi dicunt.*

[93] *Unguibus crataverit*, i. e. laceraverit: verbum *cratare*, in serm. Ital. *grattare*, in serm. Francogall. *gratter*, formatum est ex voce theot. sup. vet. *chrazon, crazion* (*chrazzon mit craphon* i. e. unguilis), Graff IV. p. 586; theot. sup. med. *kratzen*, Müller I. p. 877; Holland. *krassen, kratsen;* in dial. Brabant. *kretsen, kratsen*, Kilian: in dial. Clivens. *crassen*, Teuthonista p. 59; Island. *krassa;* Angl. *scratch.*

[94] Vox *cla-dolg*, i. e. klauwunde, si verbotenus in sermon. theot. transfertur, composita est verbis *dolg* (vulnus), quod p. 69 in not. 57 ad tit. XXII legis Fris. illustratum est, et *klâ* (unguis), quod scribitur in dial. theot. sup. vet. *chlawa, klawa, chloa, kloa*, cf. Graff IV. p. 541; in dial. theot. sup. med. *klá* (in num. singul. *kla*, in num. plur. *klawen* et *kla*) cf. Müller I. p. 831; in dialecto psalmorum saxonice versorum *clawa* (*clawon*, i. e. ungulas); in dialect. Fris. *klewe* (in libris legum Fris. vox semel tantum nobis occurrit, idque in accus. plur. *da klewen*) Fries. Rechtsq. p. 391, 19; in dial. Anglosax. *clavu, cla, cleo*, conf. Grein Sprachsch. Angels. Dicht. I. p. 162. Haec ostendunt, dialectum Frisiae inter Flevum et Wisaram sitae formam veterem *klewe* vel *klawa* usurpasse, dialectum autem Frisiae inter Flevum et Sincfalam sitae, qua in terra textum legis Fris. scriptum dico, tempore priore formam vocis contractam *klâ*, in

dialecto theotisca superiori usitatam, neque dialecto Clivensi saeculi decimi quinti alienam, quia in libro Gerardi van der Schueren, Teuthonista nominato, formae vocis *cla* et *clawe* receptae sunt.

[95] Her. »X denariis Fresionicis", i. e. $3\frac{1}{3}$ solidis, conf. praef. l. Fris. p. XXXIX.

[96] Cap. 45 additum est cap. 47 tit. XXII l. Fris.

[97] Cap. 46 additum est cap. 76--79 tit. XXII l. Fris. Verba cap. 46 tit. III Add. non adnotant mulctam dimidiam ter esse solvendam, neque tamen dubito, quin lex hoc voluerit, quia »membri penitus abscissi" mulcta ex iure Additionis ter est sumenda.

[98] Her. *quam;* emend. *qua.*

[99] Cap. 47 et 48 addita sunt cap. 45 et 46 tit. XXII leg. Fris.; cf. III, 59 Add. Sap.

[1] Her. *solidis;* em. *solidos.*

[2] Cap. 49—58 addita sunt cap. 66—70 et 75 tit. XXII leg. Fris.

[3] Her. *tres;* emend. *tria*, cf. XXII, 75 l. Fris.

[4] Her. *uno solido cōpon.* — Mulctae 8 et 12 solidorum in capitulis 56 et 57 commemoratae, atque auctoritate eorum ter sumendae, demonstrant, mulctas unius solidi in cap. 50, 2 solidorum in cap. 51, et 3—6 solidorum in capitulis 52—55 statutas, ter esse sumendas.

[5] *Smelo* hoc loco vocatur *spanna*, i. e. spithama, quae est inter pollicis et digiti indicis articulos extremos, ac dictae spannae minori opponitur spanna maior, quae est inter pollicis et digiti medii articulos extremos; huius discriminis ratione habita nomen *smelo* interpretari liceat ex verbo *smal, smel* (exiguus, parvus), quod v. p. 96 in not. 85.

[6] »Spanna", conf. not. 1 ad XXII, 66 leg. Fris.

[7] Capitulis 49—58, quae ad Frisiam mediam pertinent, ius Frisiae occidentalis diversum de vulneribus metiendis in verbis *apud . . . solvitur* adiectum est.

[8] Auctoritate verborum *donec . . . tremissem* in Frisia occidentali vulneris metiendi mulcta maxima $53\frac{1}{3}$ solidorum erat; hic autem numerus ad mulctam maximam homini libero solvendam referendus est, homo enim nobilis in parte Frisiae nominata duplicem recepit mulctam homini libero lege constitutam, vide cap. 72 tituli III Add.; quo quidem efficiebatur, ut homini nobili $2\times53\frac{1}{3}$ vel $106\frac{2}{3}$ solidi solvendi essent loco $53\frac{1}{3}$ solidorum, qui ex capitulo 58 tituli III Add. homini libero solvebantur. Verba capituli 58: *ibi nobilis homo* $106\frac{2}{3}$ *solidis simpla compositione solvitur*, eo tantum animo legi apposita sunt, ut expri-

mant quae modo exposui, neque dicere volunt 106⅔ solidos tempore, quo Additio legis condebatur, hominis nobilis weregeldum fecisse; vide praef. legis Fris. p. XL, in qua notatum est, hominis occisi weregeldum simplex in lege Frisionum vetere statutum, tempore Additionis sapientum ter solutum esse.

[9] Verba *similiter inter Wisaram et Laubachi* ex mea quidem interpretatione sanciunt, ut in Frisia orientali ius idem valeat, quod in verbis antecedentibus de mulctis vulnerum quae sint metienda in usum Frisiae occidentalis expositum est.

[10] Verba *similiter manum ac pedem* ob brevitatem obscura sunt. Capitula 1—10 tituli II Additionis, et capitula 1—7 tituli IIIa Additionis, manus ac pedis mulctas emendant, quas capitula 27—44 et 60—63 tituli XXII legis Fris. constituerant; omnia autem his in locis statuta ad solam Frisiam mediam inter Fli et Laubachi sitam pertinent; hanc ob rem coniicere liceat, verba *similiter manum ac pedem* dicere, in Frisia occidentali et orientali ius esse adhibendum in capitulis citatis de pede ac manu in usum Frisiae mediae conditum; nec tamen affirmaverim, hunc verborum laudatorum sensum certum ac definitum esse.

[11] Capitula 59—75 ad Frisiam occidentalem referenda sunt, duabus notis exceptis, quae capitulorum 68 et 73 verbis supremis adiectae, ad Frisiam orientalem pertinent.

[12] Her. *iuditia.*

[13] Nomen Saxmundi nobis occurrit solis in verbis: *haec iudicia Saxmundus dictavit*, atque in inscriptione tituli VI Additionis; qui loci probant, Saxmundum quaedam »iudicia dictavisse" de iure Frisionum, quae adiecta sunt legi Frisionum, et partem faciunt additamenti legis Frisicae, quod inscriptum est *Additio sapientum.* In praefatione l. Fris. p. XLII exposui »Additionem sapientum" tempore Karoli Magni scriptam esse, atque ibidem p. XLV conieci, Wulemarum et Saxmundum »sapientes" anno 802 Aquisgrani versatos fuisse in numero eorum, quos annales Laureshamenses legislatores vocant. Non est quod hoc loco argumentis refutem opinionem Heroldi et Montani Hettema, quorum ille Saxmundum saeculo sexto, hic vero saeculo XIII adscripsit, vide praef. p. XIX not. 24.

[14] In cap. 46 tit. XXII legis Fris. constitutum est, ut »si quis totum oculum eruerit, medietatem weregildi sui componat"; quod in cap. 47 et 48 tit. III Add. Sap. ita emendatum est: *si quis oculum excusserit, ter 40 solidos componat; si non oculum excusserit sed pupillos, ter 20 sol. comp.* Quorum verborum testimonio Wulemarus loco weregeldi dimidii, quod ex

iure legis veteris solvendum erat ac 25 vel $25 + 1\frac{1}{3}$ solidis aestimabatur, poenam 3×40 vel 3×20 solidorum in ius Frisiae mediae induxerat. In capitulo tandem 59 tituli III Add. *Saxmundus dictavit*, *oculum* 25 *solidis debere componi*. Per se patet, hoc »indicium Saxmundi" ad Frisiam mediam non esse referendum, in cuius usum Wulemarus in capitulis 47 et 48 tituli III Add. ius legis Frisicae veteris emendaverat; neque autem censeo Saxmundum in cap. 59 tit. III Add. mulctam ipsam 25 solidorum, in lege vetere conditam, in usum Frisiae occidentalis repetivisse, ac coniicio legendum esse *ter* 25 *solidorum* in textu capituli 59, loco 25 *solidorum* edit. Her., quia in cap. 60 — 63 tit. III Add. plures mulctae legis Fris. veteris ter sumptae sunt.

[15] Cap. 60 additum est cap. 58 tit. XXII leg. Fris.; mulcta »amborum testiculorum excussorum", quam lex Frisionum in »weregildi" summam constituerat, in capitulo Additionis ter sumpta, i. e. in $3 \times 53\frac{1}{3}$ solidos aucta est.

[16] Cap. 61 additum est capitulo 84 tit. XXII legis Fris., cf. not. 79. p. 74 et 94 p. 80. Mulcta »brachii supra cubitum transpuncti", aeque ac mulcta »coxae transpunctae", in capitulo 84 tit. XXII legis Fris. in usum Frisiae mediae in 6 solidos constituta, in cap. 61 tit. III Add. ter sumpta est. Mulctam »brachii aut cruris percussi", in usum Frisiae mediae triplicatam, commemorat capitulum 35 tituli III Add.

[17] Cap. 62 additum est capitulo 84 tituli XXII legis. Fris. Mulcta »brachii sub cubito transpuncti" in cap. 62 tit. III Add. in »ter 3 sol." constituta est; haud dubito, quin mulcta »brachii sub cubito transpuncti" ex iure Fris. vetere trium solidorum fuerit, i. e. partis dimidiae illius mulctae, quae solvenda erat, si »brachium supra cubitum transpunctum erat", quia ex lege Fris. vetere XXII, 24 et 26 »brachium supra cubitum ictu confractum" 12 solidis, »infra cubitum confractum" 6 solidis mulctabatur.

[18] Capitula 63 et 64 addita sunt capitulo 16 tit. XXII leg. Fris. Mulcta in capitulo laudato legis veteris Fris. constituta in capitulo 13 tituli III Add. ter sumpta est in usum Frisiae mediae, atque in cap. 63 tit. III Add. in usum Frisiae occidentalis; conf. not. 71 p. 72.

[19] Cap. 65 additum est capitulo 18 tit. XXII leg. Fris. In legis veteris loco laudato mulcta »maxillae incisae" (vel »transfixae", conf. XX, 85 l. Fris. et not. 73. p. 73.) in 6 solidos constituta est; in capitulo 14 tituli III Add. mulcta »maxillae

*

perforatae" in »ter 4 solidos" in usum Frisiae mediae aucta est; in cap. 65 tit. III Add. tandem nobis occurrit mulcta »maxillae transpunctae" in 6 solidos constituta. Utrum capitulum 65 mulctam legis Fris. veteris in usum Frisiae occidentalis repetere voluerit nec ne, quaeritur; litteras verborum *VI solidos*, quae in cap. 65 editionis Heroldianae leguntur, in *ter IV solidos* mutare haud sustineam.

[20] Cap. 66 additum est capitulo 83 tituli XXII leg. Fris. In iure Frisico recentiore criminis *wapul-depene* nominati, de quo quidem hoc loco disseritur, tres gradus discernuntur. In legis Fris. veteris capitulo laudato mulcta commemoratur in criminis gradu minore solvenda, et in capitulo 41 tituli III Additionis in usum Frisiae mediae constitutum est, ut haec mulcta ter sumeretur. Capitulum 66 tituli III Additionis mentionem facit mulctae in criminis dicti gradu maiore in Frisia occidentali solvendae, et verba *ter XII sol.*, quibus capitulum utitur, probant mulctam veterem iuris Frisici, quam textus noster legis Frisicae veteris silentio praeterit, ter esse sumendam. Conf. not. 15 p. 85.

[21] Verbis capituli 66 conferenda sunt ea quibus leges Fris. recentiores utuntur, vide: *hwersa ma enne mon werpth of skipi ieftha of enere bregge ana en unlende wetir, thet hi grund ne lond sperthera ne spera me mi mith foton ne mith hondon*, Fries. Rechtsq. p. 95, 22. 232, 11. 339, 34. 463, 4. 446, 32. 455, 3. 493, 20. 497, 26. In criminis dicti gradu de quo capitulum 83 tituli XXII leg. Fris. disserit, homo laesus de ripa fluminis vel fossae in aquam eiectus est, conf. verba capituli laudati: *qui iuxta aquam stantem impinxerit;* in criminis autem gradu maiore ille de navi vel de ponte in aquam deiectus est, ut leges Frisicae recentiores allatae commemorant, quibus conferenda sunt verba legis Saxon. I. c. 9: *si quis alium de ponte vel navi vel ripa in flumen impinxerit*, et verba legis Baiuwar. III, 2: *si quis alium de ripa vel de ponte in aquam impinxerit, quod Baiuwarii in unwan dicunt.*

[22] Capitulum 67 additum est capitulo 87 tituli XXII leg. Fris., et »remunerationem" vel »mercedem" ibidem in usum Frisiae mediae constitutam, in usum Frisiae occidentalis repetit; non enim dictum est, mercedem propositam ter esse sumendam.

[23] In lege Frisionum vetere capitula nulla inveniuntur, quibus adiecta sint capitula 68—70 tituli III Additionis, quae in usum Frisiae occidentalis, non Frisiae orientalis et mediae scripta esse iudicio. Capitula dicta non disputare de iure Frisiae orien-

talis, firmatur capituli 68 verbis extremis, quae ius Frisiae orientalis commemorant ab eo diversum quod in capitulo ipso expositum est; ad Frisiam mediam autem capitula 68—70 haud referre velim, quia posita sunt inter capitula 59—75 *iudicia Saxmundi* inscripta, quorum nonnulla ius describunt quod Frisiae mediae alienum est, conf. cap. 59. 65. 66. 72.

[24] Si quadrupes hominem vulneraverit, auctoritate verborum quae extremo cap. 68 sunt adiecta, iure Frisiae orientalis sanctum est, ut dominus quadrupedis mulctam daret simplicem, quae ter solvenda fuisset, si ipse vulnus fecisset; in Frisia occidentali, ad quam capituli 68 partem priorem referam, solae » tres partes de ipsa mulcta componuntur, quarta portione dimissa". Plurimae leges Frisiae recentiores, quae verba faciunt de eadem re, volunt dominum quadrupedis mulctam dare dimidiam, aut tertia parte diminutam, non poenam pacis; fundamentum earum, ut ita dicam, est constitutio duodecima, vulgo *Londriucht XII* dicta, initio saeculi decimi tertii scripta: *si quid dens fecerit, vel cornu seu ungula, vel galli aculeus, seu servus, vel infans infra annos, vel viri uxor, vel vir ipse post tergum fecerit, si id in reliquiis verificare voluerit, quod ipsi hoc fecerit involuntarium factum et unweld, tunc debet id emendari cum dimidia emenda; nulla poena pacis debetur populo nec skulteto*, Fries. Rechtsq. p. 60; conf. cum hac constitutione leges quae pertinent ad Frisiam orientalem in Fries. Rechtsq. p. 60 lin. 26. p. 205 § 44. 45. p. 226 § 18 et p. 177 § 182, et ad Frisiam mediam in Fries. Rechtsq. p. 61 lin. 26. p. 472 § 67—70. 446 § 20—22. 456 § 21—23. 494 § 15. 16. 497 15. 16. De eadem re constitutum est in lege Saxonum XIII (ed. Merkel c. 57): *si animal quodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo cuius constiterit componatur, excepta faida;* in lege Thuringorum XI (ed. Merkel V, 7): *si quadrupes damnum quodlibet fecerit, possessor pro qualitate damni, vel compositionem solvat, vel sacramentum iuret;* conf. Edict. Rothar. c. 330; et in leg. Sal. c. 36 ed. Merkel: *si quis homo ex quolibet quadrupede domestico occisus fuerit, medietatem compositionis dominus ipsius quadrupedis cogatur exsolvere, ipsum vero quadrupedem pro medietate compositionis restituat requirenti*, conf. l. Rip. c. 46. Vide Wilda p. 555. 588.

[25] Leges Frisiae recentiores vulnera recensent, quae fecerunt *horses* (vel *hingstes*) *hof*, *hritheres* (vel *oxa*) *horn*, *skeppes horn*, *swines toth*, *hundes tusk*, *katta bit*, *hona etsel.*

[26] Cf. not. 23 et 24.

[27] Capitula 69 et 70 in usum Frisiae occidentalis scripta censeo, vide notam 23, coniicere autem liceat ius Frisiae orientalis his in locis cum iure Frisiae occidentalis consensisse, quum capitulorum verbis extremis nullae clausulae additae sint, in quibus Frisiae orientalis ius diversum eodem modo exponeretur, quo in clausula capitulo 68 adiecta factum est.

[28] In capitulo 69 constitutum est, ut homo qui casu et fortuito alium vulneraverit, mulctam simplicem solvat, id est tertiam partem mulctae quae solvenda fuisset, si malo animo vulnus illud homini fecisset, quia mulctae plurimae legis Frisicae veteris triplicandae erant tempore, quo Additio legis Frisionum condebatur, conf. praefat. leg. Fris. pag. XLII, et vide quae de malo animo in nota 59. p. 69 adnotata sunt. De iure Frisico recentiore vide locos in nota 24, et in Fries. Wörterb. p. 1107 sub vocibus *unwelde* et *unwille* laudatos. Ex legibus aliorum populorum Germanicorum affero capitulum 5 tituli XII legis Sax. (ed. Merkel c. 59): *si ferrum manu elapsum hominem percusserit, ab eo cuius manum fugerat, componatur, excepta faida;* et cap. 8 tit. X legis Thuring. (ed. Merkel V, 6): *qui nolens, sed casu quolibet, hominem vulneraverit vel occiderit, compositionem legitimam solvat;* et Edict. Rothar. cap. 389. Vide Wilda pag. 547. 558. 643.

[29] Herold. *tenens;* emend. *tenet.*

[30] Her. *componatur;* em. *componat.*

[31] Cf. not. 27.

[32] *Puer qui nondum* 12 *annos habet*, i. e. puer impubes, statutis Frisicis recentioribus latine scriptis nominatur: *puer antequam habet annos*, Fries. Rechtsq. p. 42, 28, *puer* (» infans") *infra annos* (» in annis"), ibid. pag. 46, 15. 27. 60, 30. 66, 23. 137, 8; *puer infra legitimos annos*, ibid. p. 104, 32. Libri in sermone Frisico scripti dicunt: *da kinden, er hia to hiara ierem comen sint*, ibid. p. 429, 13; conf.: *und thet kind to ierum cume*, ibid. p. 330, 31. 196, 21; *er thet kind ierech se* vel *thet unierege bern*, conf. locos allatos in Fries. Wörterb. s. v. *ierech* et *unierech*. Aetate duodecim annorum tutela impuberum (Fris. *thiu mundskip thera unieriga kindena*) in iure Frisico finita erat; conf. Fries. Rechtsq. p. 329, 19. 301 § 20 (vel fris. in MS. meo Fivelg. p. 115). 389, 25. 420, 8 et 14 (vel in Ms. meo Fivelg. p. 28 et 29). 244 not. 1. De iure aliorum populorum Germanicorum cum iure Frisico consentiente, ac verbis quibus populi illi utuntur, ut aetatem minorem exprimant, quae ad verba legum Frisicarum congruunt, vide Kraut Vor-

mundschaft I. p. 111 et W. Wackernagel Die Lebensalter, Basel 1862, p. 51.

[33] Si puer impubes *cuilibet vulnus intulerit, in simplo componat*, i. e. tertiam partem mulctae solvat, quam puberes ob eam rem dedissent; quod quidem eo efficiebatur, ut tempore, quo Additio Sapientum condebatur, omnes fere mulctae simplices iuris Frisici veteris » ter" essent solvendae. Initio saeculi decimi tertii paragrapho duodecima legum Frisicarum, quae vulgo *tha* 24 *Londriuchta* vocantur, in usum Frisiae mediae et orientalis sanctum est, ut *quod infans infra annos fecerit.., dimidia emenda emendaretur*, conf. Fries. Rechtsq. p. 60, 30; quam constitutionem sequitur textus Frisicus illius paragraphi, quae legitur in codice manuscripto meo iuris Fivelgoensis p. 20: *sa hwet sa unierich kind deth, sa schel ma hit alle beta mith halvere bote*, aeque ac textus, qui inest in statutorum collectione, quae attinet ad pagum Frisicum Westergo, conf. Fries. Rechtsq. pag. 61, 35 (et Ms. meum S. p. 44b); conf. etiam § 70 statuti Westergoensis: *ief hit kumth fan knapa iefta fan onieriga kinden, thet thet hus werde a branda, and sinre bura hus aldermei fan barne, sa ach thet thi hera to betane mith halvere bote, thet sin knapa den heth, etc.*, Fries. Rq. p. 473 (et Ms. meum S. p. 157 et p. 44b). Loco » emendae dimidiae", quam lex citata constituerat, saeculo XIV, pluribus in Frisiae pagis duo trientes emendae plenae solvebantur; vide locos ex codicibus Ms. pagorum Hunesgo, Emesgo et Westergo, allatos in Fries. Rechtsq. p. 60, 33. 62, 1. 226, 35 et in cod. Ms. S. p. 44b; et quibusdam in villis Frisicis ipsa emenda plena, nulla parte eius deducta, solvebatur auctoritate legis ex codice Ms. Emesgoensi in Fries. Rq. p. 226 lin. 36 typis impressae. Ius Frisicum antiquum autem, in capitulo 70 tituli III Additionis expositum, maxime illustratur et capitulo 5 tituli XXIV legis Salicae ed. Merkel (vel XXVIII, 6 ed. Herold): *si puer infra 12 annos aliquam culpam commiserit, fretus ei nullatenus requiratur* (cum quo conferendum est cap. 5 a. 819 legi Salicae additum in Mon. G. LL. I. p. 226), et iure Sueogothorum antiquo, quo omnia quae impuberes fecerint ad casu facta aequiparantur; cf. exempli gratia Ostgothal. in Vaþamal XV § 3: *all ughurmagha gaerning taks til vaþa* (i. e. casus), *ok han bötir egh mera firi vilia aen firi vaþa*, Schlyter II. p. 76; vide Wilda Strafr. p. 642 et Rive Geschichte d. Deutsch. Vormundsch., Braunschw. 1862, I. p. 70.

[34] Capitula 71—73 ad Frisiam occidentalem vel orientalem, neque vero ad Frisiam mediam referenda esse, weregeldorum proportione in iis commemorata probatur; testimonio enim capitulorum 1—10 tituli I leg. Fris. in Frisia occidentali in aeque positus est: 1 homo nobilis = 2 hominibus liberis = 4 hominibus litis, in Frisia media autem: 1 homo nobilis = $1\frac{1}{2}$ hominibus liberis = 3 hominibus litis, vide p. 40 not. 12; ac verba capituli 72 tit. III Add. *compositiones in nobili homine dimidio maiores*, priori tantum aequationi propositae respondent. Cf. not. 24. p. 86.

[35] Verba *hae omnes compositiones* referenda sunt ad compositiones vel mulctas in capitulis 59—70 tituli IIIa Add. consignatas, » compositiones vulnerum" enim in capitulis 1—10 tituli II et 1—58 tituli IIIa adnotatae, ad Frisiam mediam pertinent, ad quam verba capitulorum 71—73 tit. IIIa referri non possunt, ut in not. 34 expositum est.

[36] Herold *ignobili homini dimidio maioris in lito medietate minoris;* Gaertner in edit. legis Fris. emendavit: *in nobili homini;* equidem censeo in codice manuscripto Heroldiano legis Frisicae verba laudata per notas ita scripta fuisse: *ī nobili hom. dimidio maior' in lito medietate minor'*, i. e. *in nobili homine dimidio maiores* (sc. compositiones sunt), *in lito medietate minores;* Heroldus notas verborum his et permultis aliis in locis legis Frisicae vitiose interpretatus est.

[37] » Compositiones dimidio minores" i. e. compositiones dimidiae, et » compositiones dimidio maiores" i. e. compositiones duplices, conf. not. 84 p. 55 et not. 24. p. 86.

[38] Vide tit. III, 78. Add., et conf. quae de denariis Frisicis adnotavi in praef. legis Fris. p. XXXIX et in not. 13. p. 41 et not. 25. p. 62.

[39] In capitulo 85 tituli XXII leg. Fris. legimus: *qui maxillas utrasque cum lingua telo transfixerit*, 15 *solidos componat;* quo in loco maxillae utriusque transfixae poena in 6 solidos, linguae transfixae in 3 solidos computata est, conf. not. 73. p. 73. Mulcta ab eo solvenda qui hominis linguam praeciderit, a lege Frisionum vetere praetermissa, testimonio capituli 74 tituli IIIa Add. » medii", i. e. dimidii weregeldi erat, neque verba capituli 74 dicunt, summam notatam ter esse sumendam; conf. autem not. 58. p. 69 de mulcta homini danda, » qui capitis percussione mutus efficitur", quae in capitulo 8 tituli III Add. in » ter $26\frac{2}{3}$ solidos", i. e. in weregeldum dimidium triplex in usum Frisiae mediae statuta est. In legibus Frisiae recenti-

oribus sanctum est, ut lingua abscissa weregeldi trientibus duobus mulctetur; conf.: *pro lingua amputata dupla pars unius compositionis*, quae verba in serm. Fris. translata sunt: *thiu tunge of esnithen en twede ield*, Fries. Rechtsq. pag. 90, 4. 91, 4; *thiu tunge al of esnithen en twede lif; half of, en half lif; thrimene of, en thrimen lif*, ibid. pag. 218, 33. 332, 15. 448, 27. 458, 1 et Ms. Fivelg. p. 57; de linguae laesionibus minoribus conf. Fries. Wörterb. p. 1095. In lege Alamannorum LX, 19: *si lingua tota abscissa fuerit, 40 solidis componatur;* qua in lege LX, 19 et LXV, 1 nasus abscissus vel pes eadem pecunia solvenda mulctatur; vide l. Sal. XXXII, 15 (ed. Merkel nov. 91), l. Thuring. V, 4 (ed. Merkel 14), et Wilda Strafr. p. 766.

[40] Capitulum 75, titulo III legis Fris. additum, furta sepulcrorum vulgaribus furtis exaequat, quod maxime ab eo discrepat, quod aliae Germanorum leges de eadem re constituunt. In legibus recentioribus pagi Frisici Hunesgo crimen dictum, quod in sermone Frisico *hre-raf* (i. e. corporis mortui furtum) appellatur, rapinae viduarum et peregrinatorum religiosorum confertur; verba legis sunt: *en reraf, and enes walebera raf ther mith berde se, and enre femna raf, se se lic-rava* (i. e. eadem rapina) *ravad*, Fries. Rechtsq. p. 332 § 15; cui constitutioni interpretationis causa locum sequentem iuris Hunesgoensis adiicio: *hwasa wida, ieftha wesa, ieftha walebera biravath, sa betere hire mith twivalde bote, etc.*, Fries. Rechtsq. p. 62, 32. Crimen autem laudatum in Frisia recentiore iudicia synodalia iudicabant, conf.: *ief di eedswara wroget om een resraf, etc.*, Fries. Rq. p. 403, 25 et: *hwerso ma claget, dat der faren se inoer dine wedeles werp, ende dio wiede erde epened se, ende en resraf den se, ende deroen britsen se emunitas, so schil dat ordel dela en papa ende tweer leken;..is hi dis ravis alle schieldich, so scheler om da sonda da hermsched* (i. e. poenitentiam) *ontfaen, ende da ban beta mit* 72 *schillingen, ende dat resraf saunbet*, Fries. Rechtsq. p. 407 § 6 et Ms. Fivelg. p. 38. Constitutiones plurimas aliarum legum Germanicarum, quarum pars maxima sepulcrorum spoliatores poenis gravissimis afficit, collegerunt: P. Wierdsma Oude Friesche Wetten p. 219, Grimm Rechtsalt. p. 635, Wilda Strafr. p. 978, et Schmid Gesch. der Angels. p. 555.

[41] Capitulum 76 additum est capitulis 8—10 tituli IX legis Fris., quae constituunt, ut » homo qui puellam virginem rapuerit et violatam dimiserit, componat ei weregildum eius.., et ad partem regis weregildum.., et tertium weregildum patri sive tutori

puellae." Auctoritate capituli 76 tit. III Add. ab homine » libero qui uxorem alterius contra legem tulerit", duo weregilda solvenda sunt, non tria, quae ius capituli 8 tit. IX leg. Fris. praescribit; » uxor enim alterius, quam homo liber contra legem tulerit", ex capitulo 76 tit. III Add. nullum weregildum recipit. Cum iure Frisico capituli citati conf. cap. 1 tit. X legis Thuringorum (ed. Merkel V, 1): *qui liberam feminam rapuerit, reddat eam cum solidis* 200, *et quidquid cum ea tulerit restituat;* l. Sal. XV, 1 ed. Merkel et L. Rip. XXXV, 1: *si quis uxorem alienam tulerit vivo marito, solidos* 200 *culpabilis iudicetur*, et capitulum 4 a. 819 legi Salicae additum in Mon. G. LL. I. p. 226: *de hoc capitulo iudicatum est, ut vivo marito cui eadem uxor contra legem substracta fuerat, cum* 200 *solidis reddita fiat;* et l. Alaman. LI, 1: *si quis liber uxorem alterius contra legem tulerit, reddat eam, et cum* 80 *sol. componat.* V. Wilda Strafr. p. 842.

[42] Her. *tremissem;* em. *tremisse.* — *Ter* $53\frac{1}{3}$ *solidos componat,* i. e. weregildum eius solvat, quod eo tempore, quo Additio legis Frisicae condebatur, triplicatione weregeldi simplicis antiqui in $3 \times 53\frac{1}{3}$ sol. statutum erat.

[43] Non est dubium, quin ius capitulorum 77 et 78 a Francorum regibus conditum sit, qui leges ecclesiae christianae » de illicitis nuptiis" in Frisia induxerant; vide quae Wilda Strafr. p. 856 de iis dicit, cf. Capit. de partibus Saxoniae a. 785 c. 20: *si quis ingenuus prohibitum vel inlicitum coniugium sibi sortitus fuerit,* 30 *solidos*, etc.

[44] Conf. cap. 73 tituli IIIa Add. et not. 38. p. 104.

[45] In editione legis Fris. Herold. nomen *Tit. III* duobus titulis Additionis impositum est, quibus, ut distinguerentur, litteras *a* et *b* adscripsi: (*tit IIIa* et *tit. IIIb*), vide notam 45. p. 90, in qua exposui titulum IIIa rectius titulo secundo adnumerari, quam ob rem editores legis Frisicae non sequor, qui titulum IIIb nominant quartum, Tit. IV autem quintum, etc.

[46] Cum titulo IIIb Additionis *qui alteri viam contradixerit..., ter* 4 *solidos componat*, ex mea opinione in usum Frisiae mediae constituto, conferas titulum VI Additionis: *si quis in flumine viam publicam occluserit,* 12 *solidos componat*, a Saxmundo legi Frisionum in usum Frisiae occidentalis, ni fallor, adiectum. In textu legis Frisicae veteris delictum, de quo capitula citata Additionis loquuntur, non est commemoratum, ex poena autem » ter 4 solidorum", qua ex capitulo IIIb Additionis hoc delictum mulctatur, coniicere velim iuri Frisico veteri id

haud incognitum et quatuor solidis mulctatum fuisse, conf. poenam 4 solidorum, qua ex capitulo 83 tit. XXII legis Fris. mulctatur »qui alium iuxta aquam stantem in aquam proiecerit", in capitulo 41 tituli III Additionis triplicatam. Poena huius delicti tempore vetere in quatuor solidos, et tempore Additionis Sap. in ter quatuor solidos constituta, demonstrat, delictum titulorum IIIb et VI Additionis delictis minoribus adnumeratum fuisse, non autem duo aut tres eius gradus in lege Frisionum commemorantur, quos in aliis criminibus distinctos vidimus, conf. quae in nota 15. p. 85 dicta sunt de crimine in cap. 83 tituli XXII legis Fris. tractato, quod in iure Frisico recentiore *wapul-depene* nominatum est. Ius tituli IIIb Add. Sap. conferam cum iure, quod statutum est in legibus recentioribus Frisiae mediae: *hwaso orem deth een wei-schettinge* (i. e. verbum ad verbum: viae clausuram) 2 *einsa* (i. e. 2 uncias), et: *hwaso oderen deth een wei-meringe* (i. e. viae retardationem) 10 *engelsche penninga*, Fries. Rechtsq. p. 473 § 74 et 75, non vero cum iure Frisiae orientalis recentiore, quod tres gradus delicti *wei-wendene* (i. e. verbum ad verbum: viae reversio) dicti et gravioribus poenis mulctati, discernit; conf. ius Emisgoniae et Brokmanniae in Fries. Rechtsq. p. 97, 10. 238 not. 2. 239 § 31 et p. 161 § 66, ius Hunesgoniae ibid. p. 340 § 71, et ius Fivelgoniae in codice Ms. meo Fivelg. p. 96. De iure aliorum populorum Germanicorum hac in re constituto vide leg. Sal. XXXI ed. Merkel (et novel. 94 ibid.), l. Rip. LXXX, l. Alam. LXVII, et Ed. Rothar. XXVI—XXVIII; conf. Grimm RA. p. 633 et Wilda Strafr. p. 780. Cum verbis, quibus Additio legis Fris. in tit. IIIb utitur, mirum in modum conveniunt verba legis Alamannorum LXVI: *De eo qui alteri viam contradixerit. Si quis liber libero in via manus iniecerit et contra legem ei viam contradixerit aut aliquid ei tollere voluerit, cum 6 solidis (cum 3 solidos) componat*, lex Alam. Karolina ed. Merkel in Mon. G. LL. III. p. 157, cum qua conveniunt l. Alam. Hlotharii tit. LXVII ibid. p. 68 et l. Alam. Lantfridiana tit. LVII ibid. p. 109. Conf. not. 48.

[47] Her. *Tit. IV;* in complur. edit. legis. Fris. recentior. *Tit. V*, conf. not. 45.

[48] In nota 46 titulus LXVI legis Alam. allatus est, ad titulum IIIb Additionis leg. Fris. congruens; cf. etiam titulum LXVII l. Alamannorum cum titulo IV Additionis leg. Fris.; verba legis. Alam. Karolinae sunt: *De eo qui alterum de caballo iactaverit: 1. Si quis liber liberum in via de caballo iactaverit, et ei eum tulerit, et statim reddat in ipso loco et*

addat ei consimilem et 12 *solidos*. 2. *Haec omnis compositio, quam viris iudicavimus, feminis eorum dupliciter componantur*, Mon. G. LL. III. p. 157, et verba eadem leguntur in legibus Alam. Hlotharii et Lantfridi l. l. p. 68 et 109. Tituli IIIb, IV et V Additionis leg. Fris. scripti esse videntur ratione habita verborum, quae ex Alamannorum lege attuli, non vero dubito, quin tituli Additionis ad Frisiam attineant et re vera sint genuina, quae opinio mea residet in iure titulorum, quod nullo modo ex lege Alamannorum descriptum est.

[49] In titulo IV Additionis sanctum est, ut »qui alterum de caballo iactaverit", solidum dimidium solvat, qua poena etiam mulctandus sit, »qui alterum cum fuste percussisset". Mulcta solidi dimidii, hoc in loco commemorata, auctoritate capituli 3 tituli XXII legis Fris. solvebatur; cuius verba: *si quis alium ita percusserit, quod durslegi vocant, dimidium solidum componat*, capitulo 42 tituli IIIa Additionis illustrantur, quod constituit, ut »qui alium fuste ita percusserit, ut lividum fiat, ter solidum et semissem componat". Mulcta delicti citati antiqua in titulo IV Additionis non ter sumpta est, neque tamen viro docto Wilda Strafr. p. 780 assentiam, qui eam appellat *eine auffallend niedrige Busse*, alia enim sunt delicta, quorum mulctas ex lege Alam. LXVII et Edicto Rotharis XXX in 12 et 80 solidos constitutas, Wilda affert, alia quae in lege Frisica tractantur.

[50] Herold *Tit. V;* ed. recentior. *Tit. VI*, cf. not. 45.

[51] Testimonio tituli V Additionis Sap. tempore vetere in Frisia media weregelda virorum ac mulierum inter se non differebant; tempore recentiore weregeldum mulieris in Frisia media tertia parte, in Frisia orientali autem dimidia parte maior erat; vide: *hwerso ma dulget ene frowa, and hio nat fiochtende nis, soe is here bote tha fiarda panninga mara, so mat ene manne due*, leg. pagi Westerg. in Fries. Rechtsq. p. 494, 2. 498, 7. 463, 23, conf. autem: *sprekat mannik anderen innaer sin ere.., de man* 2 *punt, ende dat wif* 1 *punt*, ibid. p. 481, 30: *alle thet ther ma frowen* (*wiven*) *deth, sa is thet thrimene further a botem and a riuchte* (i. e. *frethe*), leg. Emesgon. ibid. p. 225, 29. 234, 30. 235 not. 49. 236, 4, conf. p. 234, 19. 235, 17, et *raf ene mon den*, 2 *pund; raf enre frowa deen* 3 *pund*, ibid. p. 230, 33. 231, 30; *wifcase thrimne further*, leg. Brocmanniae ibid. p. 162, 9, cf. p. 177, 5. 179, 16 et *delefel sex penningar, there wive niugen*, ibid. p. 179 11; *soldede* 15 *merk ieftha* 15 *ethar; there frowa thrimene further a bote and a riuchte*, leg. Hunesgon. ibid. p. 332, 32, conf. p. 332, 19. 26.

333, 3. 339, 9. Quod ad aliorum populorum Germanicorum leges attinet, mulieribus (de puellis non loquor) duplex weregeldum constitutum est ex l. Alam. XXXXIX, 2 et l. Bai. III, 13 § 2. 3, cf. l. Sax. II, 2 (ed. Merkel. c. 15), et triplex weregeldum ex l. Sal. XXIV, 6 ed. Merkel (et nov. 62—65. 357 ibid.) et l. Rip. XII—XIV, conf. l. Thur. X, 3. 4. In compluribus Germanorum septentrionalium legibus weregelda mulierum et virorum inter se non discrepant, vide Grimm RA. p. 404. 660 et Wilda Strafr. p. 571. 648.

[52] De Saxmundo cf. not. 13. p. 98.

[53] Tit. VI Additionis (quem complures legis Fris. editiones recentiores titulum VII nominant, conf. not. 45) ad Frisiam occidentalem referre velim, in capitulis enim Frisionum legi Saxmundi auctoritate additis nullum video locum, qui de Frisia media vel orientali verba fecerit, ac censeo Wulemarum poenam, quam Saxmundus in titulo VI Additionis proponit, in titulo IIIb Additionis in usum Frisiae mediae constituisse.

[54] Her. *Tit. VII;* in edit. recent. *Tit. VIII*, cf. not. 45.

[55] In capitulis 2—4 tituli III legis Fris. sanctum est, ut qui furtum fecerit, pretium duplex rei furtivae domino solvat, et regi weregeldum suum loco fredi; in titulo VII Additionis, quae titulus III legis Fris. de furtis constituerat, ita aucta vel emendata sunt, ut qui »res fugitivas", i. e. servos fugitivos vel animalia fugitiva, domino non reddat, furi exaequetur, pretii duplicis loco autem pretium simplex »rei fugitivae" domino solvat, conf. pag. 46 not. 39 et vide Wilda Strafr. p. 861. 919. De »servo fugitivo" cf. leg. Alam. XXI et LXXXVIII.

[56] Her. *precium.*

[57] Her. *Tit. VIII;* ed. recent. *Tit. IX*, cf. not. 45.

[58] In tit. VIII, 2 Add. constitutum est, ut qui servos pignoris loco ab aliis vi abstulerit, damna compenset, quae ii fecerint; in titulo VIII, 1 Add. autem, ut dominus damna compenset, quae servi aut equi sui pignori dati fecerint. Cum hac legis Frisicae constitutione maxime congruunt, quae in tit. LXXXIX, 1. 2. Alamannorum sancta sunt: *Si quis pignus tulerit contra legem aut servum aut equum, postquam illum in domum suam duxerit, et ille servus ibi hominem occiderit, aut ille equus aliquod damnum fecerit, illud damnum ad illum pertineat, qui illud pignus contra legem tulit, non ad dominum cuius pignus fuit. Si autem dominus voluntarie pignus dederit pro aliqua re alicui, et illud pignus quod datum est ibi aliquod damnum fecerit, dominus eius qui dedit pignus, damnum quod factum*

est simile restituat. Mon. G. LL. III. p. 77. 164. Conf. leg. Liutprandi c. 110 (VI, 57): *Si quis servum aut ancillam alienam loco pignoris tenuerit, et furtum aut damnum aut homicidium aut quodlibet malum fecerit, non reputetur proprio domino suo, nisi ei qui eum tenuerit; quia postquam eum pro debito suo comprehendit, sic custodire debuit, ut aliquod malum facere non posset*, et Ed. Rothar. 257: *Si intra dies 20 debitor pignus suum* (i. e. »servum aut ancillam, vaccas aut pecora") *iustitiam faciens et debitum reddens non liberavit, et post transactos dies 20 contigerit ex ipso pignore mancipium aut quodlibet peculium mori, aut homicidium aut damnum fieri, aut alibi transmigrare, tunc debitor in suum damnum reputet, quod sua pignora liberare neglexerit*, cf. Ed. Rothar. 344. Vide locos iuris Germ. septentr. quos allegat Wilda Pfändungsrecht, in Zeitschr. für Deutsches Recht I. p. 236, et conf. Platner Histor. Entwickel. d. D. Rechts, Marb. 1854, II. p. 110 et Stobbe D. Vertragsrecht, Leipzig 1855, pag. 264. Vide not. 66.

[59] Herold: *q pãt dicũt*, i. e. *quod pant dicunt.* Hic quidem legis Frisicae locus, ni fallor, vetustissimus est, in quo verbum *pant* (pignus) nobis occurrit. In dial. theot. sup. vet. vocis formas *phant* et *Fant* legimus, conf. Graff III. p. 341, qui Glossas saecul. IX—XI scriptas affert; in dial. theot. sup. med. scribitur *phant*, Zarnke II. p. 477; in dial. theot. inf. med. *pant*, conf. Homeyer Reg. z. Sachsensp.; in dial. Fris. rec. *pant;* in dial. Sueogoth. *pant*, conf. locos legum Ostgotalag, Uplandslag, etc. in Schlyter Corp. II. p. 341, III. p. 388 etc. Verbum theot. *pfänden* (pignorare) scribitur in dial. theot. sup. vet. *fanton*, Graff III. p. 341, in dial. theot. sup. med. *phenden*, Zarnke II. p. 481; in dial. theot. inf. med. *panden, peinden;* in dial. Fris. rec. *penda, peinda, ponda.* Verbum *pant* sermoni veteri Germanico alienum iudico; libri de iure Anglosaxonico scripti eiusdem loco vocibus *ved, under-ved* et *nam* utuntur, vide Schmid Angels. Ges. p. 641; leges Fris. antiquiores in sermone Frisico scriptae usurpant voces: *ravia* (pignus capere) Fries. Wb. p. 985, *raf* (pignoris captio) ibid. p. 984, *setta* (pignus dare) ibid. p. 1008 et *wed* (cautio, pignus) ibid. p. 1129. Vocibus *pand* et *penda* leges terrae inter Wisaram et Laubachi in sermone Frisico scriptae nunquam utuntur; in Frisia inter Flevum et Laubachi voces dictae his solis in legum locis frisice scriptis nobis occurrunt: in statuto Westergoensi, quod saeculo XIII. conditum, nobis autem in textu recentiore servatum dico: *iefter en scip oen din over komt, ende dat met penda wille, soe aeg hi ti*

gaene mitta scelta ende mitta tolvem, ende toe iariane, dat hi him dine roder (var. *roewet* Ms. S.) *iova willa, ende onderpande sitta, hwant hi pandis weer him schildich is. Ief hi da schiolda bisect, so is di schipman niaer mit enre hand ur sines schipes bord ti undriochtane, dat hi thore enich pand tiulda*, Ms. meum S. p. 74b et Fries. Rq. p. 418 § 28; in iure forensi oppidi Franeker a. 1402: *panden iefta burgen to settena for da broke*, Fries. Rq. p. 478, 16, cf. lin. 32; in iure oppidano Franeker a. 1417: *maket hia den herwei naet.., hia uet to pondena.. by* 2 *ponden*, ibid. 479, 21; in iure statuto tractus Utingeradel a. 1450: *so schel di gretman mit da riocht ende mitter mente toe da huse gaen, ende seka din ferdlasa, ende peinda* (*ut-peinda*) *da clagera sin schilda ut da guede*, ibid. p. 513 § 38 et 40. In iure oppidi Staurensis a. 1290, latine scripto, verbum Frisicum *raf* (pignoris captio) translatum est voce *rapina: statuimus, quod infra civitatis terminos non debeant pati personarum captivitatem, nec pecorum vel rerum mobilium rapinam; ..sanxivimus insuper, ne propter debita pecuniaria, seu aliarum rerum, aliquis audeat rapinam facere Staurensibus, vel personarum detentiones, vel rerum arrestationes; nisi pro debito legitime requisito et obtenta licentia*, Schwartzenberg Charterb. I. p. 123. Frisiae cis-flevanae legibus recentioribus, latine scriptis, verbum *pant* non inusitatum est, conf. *pandare* in stat. oppidi Dordracensis a. 1252 et in stat. Zeeland. a. 1256 Mieris I. p. 264. 305; saepissime autem nobis occurrit in Flandriae legibus, conf.: *si in eadem villa* (Poperingen) *accipitur, quod homines pand vocant*, a. 1107 Warnkönig II. P. 2 Urk. p. 101 (ex orig.); *pandare* a. 1208. 1240. 1248 ibid. II. P. 2 Urk. p. 111 et 76. III. P. 2 Urk. p. 86; *pandus* a. 1248 ibid. III. P. 2 Urk. p. 86; *pant* a. 1265 ibid. II. P. 2.. Urk. p. 222; *panden* a. 1296 ibid. III. P. 1 p. 87, etc. Quae adnotavi firmant opinionem meam, legis Frisicae textum, qui verbo *pant* utitur, » cis Fli" scriptum esse, i. e. aut in Frisia inter Flevum et Sincfalam sita aut in terra Frisiae finitima quae in Flevi parte australi sita est. De origine vocis *pant* hoc loco non dissero, censeo autem eam ex verbo Latino *pondus* formatam, aeque ac vocem theot. *pfenning*, quae in dial. theot. sup. vet. *pfanting* scripta est, cf. Schmeller. Baier. Wb. I. p. 317 et Graff III. p. 343.

[60] Tit. IX (vel tit. X in edit. l. Fris. recent.), qui titulo VIII, 1 legis Fris. additus est, ad Frisiam mediam, neque vero ad Frisiam orientalem refero; in Frisia orientali enim non duplex,

sed simplex rei furtivae pretium reddendum est, cf. not. 48 p. 48 et not. 74 p. 52, et in titulo IX Additionis ius tituli VIII, 1 ita emendatum est, ut loco fredi weregeldum solvatur, quod quidem in usum Frisiae orientalis iam titulus VIII, 2 legis Fris. constituerat.

[61] Verbis tituli IX sanctum esse puto, ut mulcta eadem solvenda sit, si quis vim faciat, quam ius vetus solvendum constituerat si furtum fecerit. Auctoritate capitulorum 2—4 tituli III legis Fris. »si quis furti arguatur.., quod abstulit in duplum restituat, et ad partem regis pro freda weregildum suum"; auctoritate autem capituli 1 tituli VIII legis Fris. »si quis rem quamlibet vi rapuerit, in duplum eam restituere compellatur, et pro freda solidos 12 componat"; conf. not. 74. p. 52.

[62] Her. *Tit X;* in edit. rec. *Tit. XI.*

[63] Vox *praestare* in legibus Germanicis medii aevi est quod dare, commendare, vide in Capitul. a. 806 c. 6: *foenus est qui aliquid praestat; iustum foenus est, qui amplius non requirit nisi quam praestat*, Mon. G. LL. I. p. 144; l. Wisig. V, 5 c. 2: *De animalibus in angariam praestitis. Si quis alicui iumentum, aut caballum, aut aliquid animal praestiterit, et per aliquam infirmitatem apud eum qui accepit moriatur, sacramentum praebere debebit, quod non per suam culpam consumptum sit, et nil cogatur exsolvere, etc.;* et cap. 3: *de rebus praestitis, incendio vel furto exterminatis. Si alicui aurum, argentum, aut ornamenta, vel species fuerint commendatae, sive custodiendae traditae, aut forte vendendae*, etc.: cf. Ed. Roth. 332 etc.

[64] In cap. 1 tituli X Add. ius Germanorum vetustissimum »de re praestita" expositum est, quod saeculo XIII. auctor Speculi Saxonici III. 5 § 4 docet in verbis: *swat man aver deme man liet oder sat, dat sal he unverderft weder bringen, oder gelden na sime werde;* neque tamen legis Frisicae titulus regulae propositae exceptionem agnoscit, quae in Speculo Sax. III, 5 § 5 ad eam ita adiecta est: *stirft aver en perd oder ve binnen sattunge ane ienes scult, de it under ime hevet, bewiset he dat unde darn he dar sin recht to dun, he ne gilt is nicht; he hevet aver verloren sin gelt, dar it ime vore stunt;* vide Homeyer Sachsensp. Landr. 1861. p. 305. Ius Germaniae vetustissimum, in lege Fris. sanctum, verbis planis enunciant codex iuris Islandorum antiquus, Iarnsida dictus, in Kaupabalkr c. 16: *sa skal lan a byrgiaz, er þiggr, at koma heilu haeim*, et lex Siellandica Erici regis VI c. 2: *laer nokaer man annaer sin haest, aellaer oxae, aellaer klaethae, allaer wapn, tha aghae*

lan e hem at kommae um got sum han tok thaet. Leges Frisicae saeculi XIII. constituunt: *quisquis vir unam rem in manus aut depositum dederit*, *tunc id est iustum*, *quod illi* (i. e. qui rem receperunt) *id repraesentent illi* (i. e. reddant rem ei, qui eam dedit), *ipso die quo id habere voluerit*, *nisi illa abstulerit ei trium necessitatum quaelibet*, *videlicet violenta rapina*, *nocturna exustio* (?), *sive nocturnum furtum*, Fries. Rechtsq. p. 66, 28, vel in libro iur. Emesgoensis frisice scripto: *sa hwet sa thi mon tha otherem anda hond iefth*, *thet hi him thet ieft wither ieve*, *hwande hond skel hond wera*, *ieftha anda withum undswera; hit ne se thet ma etc*. Fries. Rq. p. 240, 11 et cf. ibid. p. 172 § 153. 173 § 155. 201 § 30. 202 § 32. 208 § 19. Loci autem laudati, ut exprimant quomodo res quaedam dentur, verba usurpant: *rem in manus aut depositum dare; god a hond ieva; god a hond ieftha helde reka; god an hond and in helde and in hude ieva* (MS. Fivelg. p. 21); *god to haldande dua; ield a hond ieven up to halden;* et: *god a sinre helde hebba; god a sinre wald hebba; inna sin huse* (*binna wagum*) *hebba klathar*, *ieftha gold*, *ieftha silver*, *ieftha other god*. Quibus in verbis, aeque atque in titulo X Additionis l. Fris., contractus singulares, quos Romani depositum, commodatum et mutuum appellant, nullo modo inter se distinguuntur; addunt autem leges Frisicae recentiores ad regulam iuris veteris exceptiones certas, in quibus reddendi obligatio cessat, ac plurimis in locis exponunt qua ratione probandum sit, si quisquis dicat, se rem quandam alii dedisse, et ille neget rem nominatam sibi datam esse, vel contendat se eam reddidisse, vide de pecunia data, i. e. *penning-schilde*, Fries. Rq. p. 475, 13. 489, 28. 495, 26. 300 § 17 et Fivelg. Ms. p. 98 et 114, vel *len-penningar* Fries. Rq. p. 165 § 100. 197. § 12, vel *ield to lene racht* (*lend ield*) ibid. p. 197, 6 et 7, cf. p. 108 § 30. 193 § 23; de frumento dato, i. e. *len-korn*, p. 195, 13; de butyro et cerevisia datis ibid. p. 195, 13. 489, 28 et Fivelg. Ms. p. 87 et 98. De iure contractus aliorum populorum German. cf. Stobbe Deutsches Vertragsrecht 1855. p. 213. 234.

[65] In cap. 1 tituli X Add. constitutum est, ut ille cui pecunia data est » talem pecuniam reddat, qualis ei praestita est". Vocem *pecuniam*, hoc in loco usurpatam, in vocem *peculium* vel *pecus* mutare nolim, neque assentiam Guilielmo Wackernagel, in Haupt Zeitschr. für D. Alterth. IX. p. 549, qui censet, sub voce Latina *pecunia* in legis loco *pecus* intelligendum esse, quamvis non ignorem verba Frisica *fia* et *sket*, et pecus et pecuniam sig-

nificare, cf. Fries. Wb. . 736. 1028. In titulo legis Frisicae ex meo iudicio sanctum est, ut debitor pecuniam reddat et quidem »talem pecuniam, qualis ei praestita est'', i. e. pecuniam eiusdem generis. Confer constitutionem legis Frisicae recentioris: *sa ne schel ma ther nen weir* (i. e. mercedem) *others om reke ieftha biade, men alsa hire foreword hebbath wesen* (i. e. non aliter quam inter se convenerunt); *is hit, thet ma therbuppa weir wel reka, sa schel thi fiarde pannig of falla*, Fries. Rq. p. 195, 11 et 16 et cf. const. a. 1371 Fries. Rq. p. 344. Vide leg. Ripuar. XXXVI, 11: *si quis weregeldum solvere debet, bovem pro.. solidis tribuat, vaccam pro.., equum.., spatam.., bruniam.., helmum.., beinbergas.., scutum cum lancea.., acceptorem etc.;* et in Ostfries. Landr. III. c. 24: *doetslage mach men versoenen up dre terminen: de erste mit gelde, de ander mit beesten, den dorden mit laekenen.* Et conf. pretia bovis, vaccae, vituli, ovis, frumenti et mellis in lege Saxonum c. 34 et 66 ed. Merkel. et in Capit. Saxon. a. 797 c. 11 statuta, inprimis autem quod in iure vetere Germanorum septentrionalium constitutum est de mensura quadam panni (i. e. »vad-mal'') loco pecuniae certae danda, vide Wilda Strafr. p. 329, Dietrich in Haupt Zeitschr. X. p. 233 et Weinhold Altnord. Leben, 1856, p. 121; et conf. Fris. *wed-merk* et *lein-merk* in Fries. Wb. p. 924. 1130 vel »libras lani et lini'' infra not. 98.

[66] In capitulo 68 tituli III Add. constitutum est, ut dominus damna compenset quae equus suus fecerit, atque in cap. 1 tit. VIII Add., ut dominus idem faciat, si equum suum alicui pignori dederit; in capitulo 2 tit. X Add. autem praeceptum est, ut dominus equi nihil solvat: »si caballus qui praestitus erat, ipsum qui illum habuit, calcibus percussit aut forte occidit''. Wilda Strafr. p. 556 de hoc decreto adnotat: *Es ist dies keine Entscheidung der Billigkeit, wie Gaupp Gesetz der Thüringer p. 399 sagt, sondern des strengen Rechtes; der Inhaber einer Sache trat an die Stelle des Eigners, wenn er durch ein Rechtsgeschäft in den Besitz der Sache gekommen war, welches zugleich auch ihm selbst, nicht dem Eigner allein Vortheil gewährte, s. Ed. Rotharis c. 332: Si quis praestitum aut conductum habuerit caballum, vel bovem, aut canem, vel quodlibet peculium, et dum in ipso beneficio et conductura est, homicidium fecerit aut damnum, non requiratur proprio domino, sed illi qui conductum aut praestitum habuit, et ipsum homicidium aut damnum componat* [conf. Stobbe D. Vertragsr. p. 264]. *Beschädigte eine solche Sache, z. B. ein geliehenes*

Thier, den Entleiher selbst, so konnte er nichts von dem Eigener fordern, weil er sich den Schaden eigentlich selbst hätte vergelten müssen. Quaeritur autem, utrum ius Frisicum cum iure Langobardico cap. 332. Ed. Roth. congruerit necne, vide in nota 58. p. 109 ius pignoris Langobardorum, quod hac in re ab iure Frisionum differt, neque titulum X Add. l. Fris. ad eos solos contractus referam, de quibus Wilda verba facit.

[67] Her. *illud;* em. *illum.*

[68] Titulum XI, in edit. Her. inscriptum *Hoc trans Laubachi*, et: *De honore templorum*, cuius initium est *qui fanum effregerit*, additum iudico ad verba tituli V legis Fris.: *sine compositione occidi potest, qui fanum effregit*, neque vero puto, titulum auctoritate regis Francorum legi Frisionum adiectum esse. Testimonio inscriptionis laudatae tit. XI de Frisia orientali, Francorum regno a. 785 subiecta, loquitur; hanc ob causam fieri non potuit, ut titulus legi Frisicae, quam a regibus Francorum conditam vidimus in Praefatione p. XXVII, ante annum 785 adiiceretur; ego vero censeo, id post annum 802 factum esse, quo tempore titulos antecedentes legi veteri additos exposui, vide Praef. p. XLV. In cap. 2 tituli XVII legis Fris. praescriptum est, »ut qui in ecclesia, aut in atrio ecclesiae hominem occiderit, novies weregildum eius componat, et novies fredam ad partem dominicam", et in Capitular. a. 785 (?) de partibus Saxoniae c. 1: *ut ecclesiae Christi, quae modo construuntur in Saxonia et Deo sacratae sunt, non minorem habeant honorem, sed maiorem et excellentiorem, quam fana habuissent idolorum;* quae quidem leges a Karolo Magno datae obstant opinioni, ipsum legi Frisionum titulum XI adiecisse, in quo sanctum est, ut, qui templum paganum effregerit, »immoletur diis, quorum templa violavit". Non est dubium, quin saeculo octavo in Frisia orientali, inter Wisaram et Laubachi sita, templa pagana fuerint, ac verisimile est, iure Frisionum paganorum vetustissimo homines qui templa deorum violaverunt, ea poena mulctatos esse, cuius titulus XI mentionem facit; numquam vero credam Karolum Magnum, imperatorem christianum, anno 802 Frisionibus orientalibus, regno Franconico inde ab anno 785 subiectis, quorum pagos episcopis Monasteriensi et Bremensi attribuerat, legem tulisse, quae verbum ad verbum enuntiat: *immolatur diis, qui eorum templa violavit.* His dictis omni modo sunt contraria capitula 8 et 9 de partibus Saxoniae anno 785 (?) constituta: *si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, et ad baptismum venire contempserit, paganusque per-*

manere voluerit, morte moriatur; et si quis hominem diabolo sacrificaverit, et in hostiam more paganorum daemonibus obtulerit, morte moriatur. Mon. G. LL. I. p. 49. Verba autem tituli XI legis Fris. ita sunt plana ac dilucida, ut omnes virorum doctorum interpretationes, quibus significationem eorum propriam removent, nimis callidas dicam; conf. quam verborem laudatorum interpretationem proposuit Wiarda in Asegabuch p. XIX: *Die beiden Sapientes fänden bei ihren Nachforschungen auch Rechtsgewohnheiten vor, die auf das erst unlängst aufgehobene Heidenthum Bezug hatten. Da aber diese nach eingeführtem Christenthum keine Anwendung mehr fanden, so führten sie nur eine an, und setzten hinzu: »haec hactenus", das ist: »mehrere wollen wir nicht anführen".* Et vide interpretationem viri doct. Phillips in Deutsche Geschichte 1834. II. p. 283: *Es mag hier ein auf poetische Weise ausgedrückter alter Rechtsgrundsatz in der Voraussetzung und Absicht ins Lateinische übertragen sein, um die Ehrfurcht und heilige Scheu vor der Entweihung der heidnischen Tempel auch auf die christlichen Kirchen zu übertragen.* Me iudicante titulus XI non est formula dicendi poetica, sed poena pagana crudelissima, quae aperte dicit quid sibi velit; et hanc ob rem pro certo negandum est, Karolum M. titulum XI capitulis illis adiddisse, qui promulgavit, ut lex Frisionum vetus emendaretur. Quae quum ita sint, viro docto Matthiae von Wicht assentior, qui in »Vorbericht zu dem Ostfries. Landr." 1746. p. 65, censet, titulum XI non Karoli M. auctoritate scriptum, sed tempore recentiore legi Fris. additum esse; attamen sententiam meam ei investigatoris antiquitatis Frisicae diligentissimi non adscribo, quae explicata est verbis: *der so heidnisch aussehende Artikel kann vielleicht nachhero von einem Liebhaber der Alterthümer aus blosser Curiosität hinzugeschrieben sein.* Equidem coniicio Frisionem quendam veterem ultimis verbis legis Frisicae in codice manuscripto suo, ius Frisionum orientalium »de honore templorum", legibus Karoli M. et ecclesiae christianae abrogatum, adscripsisse, aeque ac permultis in codicibus manuscriptis iuris Frisici recentioris constitutiones antiquiores adscriptae vel in textum receptae sunt, quas leges recentiores sustulerant. Haec mea coniectura fortasse confirmatur dictione tituli quasi historica, quam animadvertere velim in verbis: *ducitur ad mare, et in sabulo, quod accessus maris operire solet, finduntur aures eius, et castratur, et immolatur diis, quorum templa violavit;* legislator enim scripsisset: *immoletur diis*, etc., et vix addidisset

verba *in sabulo, quod accessus maris operire solet.* In errore versatus est vir doctus Stobbe in Gesch. der D. Rechtsq. Braunschweig 1860. I. p. 185, qui narrat, Wulemarum legi Frisionum titulum XI adiecisse.

